



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicæ, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

De Sacramentis In Genere Ac De Sacramentalibus Nec Non De Sacramentis Baptismi, Confirmationis, atque Extremæ Unctionis Decisiones

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

De Sacramentis In Genere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94638](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94638)

D E SACRAMENTIS IN GENERE.

DECISIO I. ARGUMENTUM.

Referuntur variae significationes huius vocis Sacramenti. Item diversae definitiones, ac divisiones. Sacramenta constare Materia, Forma, ac Intentione demonstrantur.

SUMMARIUM.

- 1 Vocis Sacramenti significationes variae.
- 2 Signa rei Sacrae, quae non sunt Sacramenta.
- 3 Sacramenti definitiones variae.
- 4 Signorum genera tria.
- 5 Differentia inter Sacramenta legis novae, & veteris.
- 6 Sacramenta quot sint?
- 7 Sacramentorum divisio multiplex.
- 8 Sacramenta ex quibus consent?



AD maiorem huius materiae Sacramentorum in genere intelligentiam praenotare oportet sequentes huius nominis Sacramenti significationes. Itaque sciendum, Sacramentum significare 1. Secretum hu-

manum. Tob. 12. Sacramentum Regis abscondere bonum est, & Apoc. 17. Dicam tibi Sacramentum mulieris, id est, Secretum. 2. Jusjurandum. Baruch 5. Semel pejeratus, nec testis sit, nec accedat ad Sacramentum, id est, ad iudicandum. 3. Mysteria divina intellectui humano abscondita, puta Sacramentum Trinitatis, seu Incarnationis Dei. Matth. 13. Vobis datum est nosse mysteria Regni Dei, nempe Sacramenta, arcanà, & res latentes. 4. Pignus ad litigantibus in loco Sacro depositum. Ita Varro lib. 4. de ling. lat. Gonzal. in c. Omnes dies, de Feriisnum. 12. ubi plures DD. allegat. 5. Tandem innuere Rem Sacram pertinentem ad Dei cultum, vel ad animae sanctitatem, cuius signum est Sacramentum; advertendo tamen, quod non omne signum rei Sacrae est Sacramentum; nam Manna signum erat Eucharistiae; aquaeducta per Moysen à filice significabat gratiam dandam per Christum; linguae igneae super capita Apostolorum in die Pentecostes apparentes, innuebant gratiam confirmationis; & dona linguarum, & omnes aliae figurae veteris testamenti, vel etiam legis naturae significabant omnia Sacra peragenda in lege gratiae; & tamen Sacramenta non sunt, ut subtiliter explicat Eminentiſſ. Card. de Lauræa in 4.

Doct. Clericali Tom. I. Liber I.

lib. Sentent. tom. 1. De Sacramentis in genere disp. 1. art. 1. ubi contra Lutherum, Zuinglium, Melanchthonem, & ceteros haereticos Sacramentarios firmat, Sacramenti nomen importare signum rei sacrae latentis, non autem ipsam rem latentem.

His praemissis, variae definitiones Sacramenti à DD. referuntur. Prima: Sacramentum est signum rei sacrae. 3. Mag. Sent. in 4. disp. 1. Sed haec est potius Etymologia, quam definitio, quia non convertitur cum definito; non enim omne signum rei Sacrae est Sacramentum, ut supra notatum est. Secunda: Sacramentum est invisibilis gratia visibilis forma. Hugo Victor. lib. 1. de Sacram. p. 9. Valquez cap. 4. num. 26. Sed neque haec subsistit; nam ly *visibilis* non est commune omni Sacramento; verba enim in omni Sacramento requisita non videntur, & tamen essentialiter requiruntur. Tertia: Sacramentum est sacra, ac sensibilis caeremonia, homines aliquo modo sanctificans; & veram animae sanctitatem ex institutione significans. Suarez in 3. p. q. 60. art. 3. Sed & haec redarguitur; nam dari possunt plura vera Sacramenta, quae tamen hominem non sanctificant; ut de contrahente Matrimonium cum obice, vel de suscipientibus alia Sacramenta in peccato. Quarta: Sacramentum est caeremonia sensibilis, quae suo usu sanctificando subiectum, significat gratiam internam, cuius est causa. Card. de Lugo de Sacram. disp. 1. sect. 2. num. 23. Sed impugnatur, eo quia Eucharistiae sumptio est caeremonia sensibilis, quae suo usu sanctificando subiectum significat gratiam internam; & tamen Sacramentum non est ipsa sumptio, siquidem Eucharistia est Sacramentum absque sumptione. Ulterius allata definitio convenit Martyrio, quod ex opere operato gratiam confert, ex multorum sententia; & tamen Sacramentum non est. Eminen. Cardin. de Lauræa d. tom. 1. de Sacram. in genere disp. 1. art. 4. num. 55. Quinta: Sacramentum est signum sensibile, gratiam Dei, vel effectum ejus gratuitum efficaciter significans, ex institutione divina, ordinatum ad salutem hominis viatoris. Scotus in 4. disp. 1. q. 2. M. Haec videtur perfecta definitio, continens genus, & differentias, quibus Sacramenta novae legis demonstrantur, & ab aliis tum naturae, tum veteris legis Sacramentis, ceterisque caeremoniis sacris distinguuntur, ut plene comprobatur Emin. Card. de Lauræa d. disp. 1. art. 4. à num. 59. Et cum fere quilibet Doctor suam propriam alleger definitionem, ceteris omissis, non est omittenda illa Card. Toleti lib. 2. cap. 15. num. 1. videlicet, Sacramentum est signum sensibile spiritualis animae sanctificationis, ad cultum veri Dei, à Christo Domino institutum. In qua definitione Signum est genus; tria autem sunt genera signorum; 4. Rememorativum, ut filium ligatum in digito. De-

A

monstra-

monstrativum, ut ramus ante tabernam. Et *Prognosticum*, ut Iris indicans pluviam futuram. Sacramentum est signum Rememorativum passionis Dominice, Demonstrativum gratiæ sanctificantis animas fidelium, & Prognosticum futuræ gloriæ. Dicitur in definitione *signum sensibile*, quia constituta sunt Sacramenta in rebus, quæ cadunt sub sensui. Dicitur: *Spiritualis anima sanctificationis*; id est, donorum spiritualium, virtutum, & gratiæ, quæ infunduntur in animam suscipientium Sacramenta; & cum sint spiritualia, & imperceptibilia; demonstrantur per illa signa sensibilia. Dicitur: *Ad cultum veri Dei*, quia non solum Sacramenta sunt medicinæ spirituales animarum à Christo Redemptore preparatæ; sed etiam ritus, & caeremoniæ sacræ ab eodem tanquam Magistro nobis propositæ, quibus Deum veneramur. Tandem dicitur: *A Christo Domino institutum*; quia Sacramentorum novæ legis auctor est Christus Dominus; & in hoc differunt à Sacramentis legis veteris, tum quia illa non fuerunt à Christo instituta, tum etiam, quia non efficiebant gratiam, prout efficiunt Sacramenta nostra. Concil. Trident. sess. 17. cap. 6. de Sacram. Adden. ad Tolet. d. lib. 2. cap. 15. ubi DD.

6 Quod si quæramus, quot sint Sacramenta? Neminem latet, ea esse septem, prout de fide statutum est in Concilio Florentino in Decreto de Sacram. & in Concilio Tridentino sess. 7. can. 1. de Sacramentis. Sunt autem Baptismus; de quo Jo. 3. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* Et Matth. 28. 19. *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Confirmatio, de qua Act. 8. 17. *Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum Sanctum.* Et Act. 19. 6. *Et cum imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus Sanctus super eos.* Eucharistia, de qua Matth. 26. 26. *Accipite, & comedite. Hoc est corpus meum.* Et Bibite ex hoc omnes. *Hic est enim sanguis meus novi testamenti.* Pœnitentia, de qua Jo. 20. 23. *Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt.* Extrema Unctio, de qua Jacob 5. 14. *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum; ungentes eum oleo in nomine Domini.* Ordo sacer, de quo Luc. 22. 19. *Et accepto pane gratias egit, & fregit, & dedit eis, dicens: Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur; hoc facite in meam commemorationem.* Et Matrimonium, de quo Ephes. 5. 31. *Propter hoc relinquet homo patrem, & matrem suam, & adheret uxori suæ, & erunt duo in carne una; Sacramentum hoc magnum est; Ego autem dico, in Christo & in Ecclesia.* Qui septenarius numerus congruit humanæ vitæ per analogiam; nam per Baptismum spiritualiter nascimur; per Confirmationem solidamur, & augemur; per Eucharistiam nutrimur; per Pœnitentiam recuperamus sanitatem peccatis amissam; per Unctionem extremam abstergimur à reliquiis peccatorum, quibus anima debilitabatur. Per Ordinem potestatem regendi populum fidelem in spiritualibus accipimus; & per Matrimonium Ecclesiam propagamus. Card. Tolet. d. lib. 2. cap. 17. & Coton. Controvers. celebr. lib. 2. cap. 1. num. 10.

7 Horum autem Sacramentorum quedam dicuntur Mortuorum, nempe Baptismus, & Pœnitentia; quia dantur mortuis spiritualiter per peccatum originale, & actuale: alia Vivorum, id est, reliqua, quæ solis vivis membris Christi, & existentibus in statu gratiæ conferuntur. Quamvis ignorantem se maculatum esse peccato mortali, & accipientem Sacramentum

aliquod vivorum absque contritione, obtinere primam gratiam, & remissionem mortalis culpæ ex S. Thomæ auctoritate, & aliorum gravium Doctorum, tenent Georg. Gobat. in Experiment. Theolog. tract. 1. n. 12. Diana part. 5. tract. 13. resol. 21. Quæ in Coordinato est tom. 1. tract. 1. resol. 23. Gonet in Clypeo Theolog. Thomist. tom. 5. tract. 1. de Gratia Sacramentali disp. 3. §. 5. num. 181. ubi respondet Cardinali de Lugo contrarium sentienti. Et doctissime Eminentiss. Card. de Lauræa d. tom. 1. disput. 8. art. 12. à num. 188. & seq. ubi supradictam opinionem amplectitur, eamque fortissimis roborat argumentis, & Lugonis purpurati lucidius solvit motiva.

Tandem alia Sacramenta sunt initerabilia, scilicet Baptismus, Confirmatio, & Ordo; nam imprimunt characterem; cætera verò possunt iterari. Item Baptismus est necessarius ad salutem omnibus omnino hominibus. Pœnitentia omnibus, & solis reis peccati mortalis, contracti post Baptismum. Eucharistia omnibus adultis. Confirmatio autem, & Extrema Unctio non est sub gravi præcepto. Ad Ordinem suscipiendum nullus homo obligatur, nisi ratione suscepti beneficii; neque ad Matrimonium ineundum, nisi qui voto castitatis liber nequit servare castitatem. Gobat d. tract. 1. num. 19. 20.

Tandem, si quis petat, Sacramenta ex quibus consistunt? Respondetur, Sacramenta constare ex Materia, ex Forma, & ex Intentione tum ministrantis, tum suscipientis, ut ex Concil. Florent. in decreto Sacramentorum. Porro materia est duplex, remota, ut aqua in Baptismo, oleum in Confirmatione. Proxima, id est, ipsius materiæ usus, & applicatio, de qua agitur in singulis Sacramentis singillatim. Item forma, nempe Verba, quibus conficitur Sacramentum; debent exprimi moraliter simul, eum applicatur materia; excepta Pœnitentia, in qua post completam materiam, id est, omnium peccatorum accusationem, adhibetur forma. Gobat d. tract. 1. num. 22. & seqq. Cardin. Tolet. d. lib. 2. cap. 16. Laym. lib. 5. tract. 1. cap. 4. num. 2. Cotonius d. lib. 2. contr. 1. cap. 1. num. 16. & Eminentiss. Card. de Lauræa, abundanti, & erudito calamo, d. tom. 1. disp. 2. per totam.

DECISIO II.

ARGUMENTUM.

Agitur de nullitate, & invaliditate Sacramentorum, quæ laicus fingens se Sacerdotem administravit. Quot, & qualia peccata ipse commiserit? Et quibus pœnis sit ipse plectendus? Quid agere debeant illi, qui ab eodem Sacramenta susceperunt?

SUMMARIUM.

- 1 Laicus administrans Sacramenta quot peccata committat?
- 2 Et quarum specierum sint dicta peccata?
- 3 Quas penas incurrat?
- 4 Sacramenta à Laico quid agere debeant?
- 5 Laico an confitenda peccata, si deficiat Sacerdos?
- 6 Maria Regina Scotiæ se ipsam communicavit.
- 7 Error communis quando det jurisdictionem.

F Amulus Parochi, Hero absente, indutus veste talari (quamvis laicus) solemniter baptizavit, confessiones audivit, & absolutionem Sacramentalem dedit; Eucharistiam, ac Extremam Unctionem administravit; & Matrimonio Parochianorum heri sui adfuit: quippe credebatur ab omnibus Sacerdos, & Capellanus Curatus. Queritur, Quot,

Quot, & qua peccata dictus famulus commiserit? Quas penas incurrit? Et quid Hero Parocho sit faciendum?

Pro resolutione advertendum; Quatuor esse in hoc casu Quæsitæ, singillatim resolvenda.

Primum. Quot peccata commiserit famulus iste laicus, qui supradicta Sacramenta præsumpsit administrare? & ad hoc respondetur; tot peccata commississe, quot Sacramenta administravit, vel administrare tentavit; siquidem tractare indignè Sacramenta, vel ea administrare sine legitima facultate, lethale peccatum est. Bonac. de Sacram. in gen. disp. 1. q. 3. punct. 2. §. 1. n. 15. Reginald. lib. 26. cap. 8. n. 53. Emin. Card. de Lugo de Sacram. in gen. disp. 8. n. 150. ubi loquitur de Ministro non consecrato. Et Emin. Card. de Lauræa d. tom. 1. disp. 10. art. 4. per totum.

Secundum. Quæ sint, seu cuius qualitatibus peccata istius famuli? Et ad hoc responsum fuit; esse peccata tum Sacilegi, tum Hæreseos. Sacilegi, quia sacrilegè peccat, qui indignè tractat, vel tractare intendit Sacramenta. Layman. lib. 4. tract. 10. cap. 7. num. 13. Reginald. d. lib. 26. c. 8. num. 53. Cottonius lib. 2. cap. 1. num. 46. Hæreseos, quia contra fidem est asserere, etiam laicos posse omnia Sacramenta administrare, & ita asserentes tanquam hæretici anathemate feriuntur à Concil. Trid. sess. 7. de Sacram. in gen. Can. 10. & sess. 14. Can. 6. Ideoque laici Sacramenta administrantes in Sancto officio Inquisitionis coguntur abjurare de vehementi. Salelles de S. Inquisit. lib. 4. cap. 4. Regul. 34.6. num. 163. Chartar. in decis. Criminal. decis. 13. num. 10.

Tertium. Quæ penas incurrit prædictus famulus? Et ad hoc pariter respondetur, incurrisse, 1. Penam irregularitatis ex cap. 1. de Clerico non ord. ministr. quod habet locum etiam in laico Sacramenta ministrante ex probabiliori Doctorum sententia. Diana par. 4. tract. 2. resol. 56. quæ in Coordinato est tom. 5. tract. 5. resol. 25. Bordon. tom. 1. de sacro Tribunali cap. 22. q. 20. num. 35. Thesaur. de Penis Ecclesiasticis par. 2. Verb. Baptismus cap. 3. Sylvest. in Verb. Irregularitas post n. 14. Ugolin. de Irregularit. cap. 37. & Chartar. decis. 14. ubi concordantes allegat. 2. Penam excommunicationis, quia cum peccaverit contra fidem, & sit suspectus vehementer de hæresi, ac tanquam hæreticus debeat abjurare de vehementi; innodatus remansit etiam excommunicatione; nam omnis hæreticus est excommunicatus. Cap. Excommunicamus. 1. & 2. de Heret. & cap. Ad abolend. in princ. eod. tit. Chart. d. decis. 14. n. 3. ubi notat, semper vidisse in foro Archiepiscopali, & in Sanctæ Inquisitionis Tribunali Mediolani, reos de hæresi vehementer suspectos, qui hæresim de vehementi abjurare coguntur, etiam absolvi ab excommunicatione. 3. Famulum prædictum esse reum mortis, quia laici administrantes Sacramenta, & præcipuè Millam celebrantes, & Sacramentales confessiones audientes, atque à peccatis absolventes, traduntur brachio seculari, ut ultimo supplicio afficiantur. Carena de S. Officio part. 2. tit. 11. §. 7. Salelles lib. 5. cap. 5. reg. 395. num. 392. Chartar. d. decis. 13. num. 9. & decis. 15. num. 3. & Bordon. d. tom. 1. cap. 22. quæst. 18. Nisi eos excuset vel levitas mentis aut actus non completus, aut minoritas ætatis, anorum scilicet viginti; vel spontanea comparitio coram Inquisitore, cum humili, ac fideli confessione horum facinororum, antequam nulla denunciatio, vel indicia haberentur in Sacro Tribunali; in his enim casibus mitius procedendo, vel tales rei puniuntur pena extraordinaria carceris, fustigationis, vel exilii, aut penitentis salutaribus tantum, ut de quodam Regulari, qui non ordinatus celebraverat Millam, & confes-

Doct. Clericali Tom. I. Liber I.

siones audiverat decem continuis annis, & tandem spontè comparuit in Tribunali S. Officii Mediolani, suis temporibus refert Chartar. d. decis. 13. 14. & 15.

Quartum tandem Quæsitum in hoc casu est, Quid Hero Parocho sit faciendum? Et ad hoc communi calamo responsum fuit, notificare debere, omnibus, qui receperunt Sacramenta ab illo iniquo famulo, ut accedant iterum ea ab ipso Parocho recepturi. Nam, quoad Baptismata, caeremoniæ sacræ, benedictiones, & unctiones nulliter, & invalide factæ fuerunt, ea ratione, quia à solo Sacerdote fieri valide possunt. Layman. lib. 5. de Sacram. ord. tract. 9. cap. 13. num. 7. & sequentibus. & Thesaur. de penis Eccl. d. p. 2. Verb. Baptismus cap. 3. Vers. Nota quod. Substantia verò baptismatum, consistens in ablutione cum aqua lustrali, forma debita, & intentione recta, quamvis vigeat, etsi à ministro laico, facinoroso procedat; tamen quia de ejus recta intentione, & formæ integra prolatione justè est dubitandum; tutius est, baptismata à Parocho sub conditione reiterari; non enim est admittenda illa propositio, defectus materiæ, formæ, aut intentionis ministri in baptisinate suppleri à Summo Sacerdote Christo Domino, ut contra Sylvestr. & Amadeum Guinemium notat Gobat de Sacram. Theol. tract. 1. num. 96. Quo verò ad confessiones auditas, & absolutionem sacramentalem datam ab ipso laico famulo, certum est nullius valoris fuisse; siquidem fides docet, solum verum Sacerdotem esse idoneum ministrum Sacramenti Pœnitentiæ. Concil. Trident. d. sess. 14. de Sac. Pœnit. Can. 10. ideoque nullum extat præceptum, quo quis non habens copiam confessorii teneatur aperire laico peccata sua. Gobat de Confess. tract. 7. num. 17. & 18. ubi advertit, textum in cap. 1. de Pœnit. dist. 6. dicentem: Tanta vis confessionis est, ut, si deest Sacerdos, confiteatur proximo, vel esse intelligendum de consilio, ad meritum humilitatis eliciendum, vel tanquam fictitium ultra columnas Herculis esse rejiciendum, & ideo ibidem num. 21. refutat factum Henrici Regis Angliæ anno Christi 1415. militantis in Gallia, qui iussit exercitui suo, ut quilibet alter alteri confiteretur peccata sua, & pusillum terræ alter alteri loco communionis porrigeret, ad Dei auxilium impetrandum in illo bello, ut scripsit Aeneas Sylvius, postea Pius Papa Secundus, relatus à Nauclero in sua Chronol. gener. 48. ad annum Christi 1415. & à me in meis Decisionibus de Pœnitentia decis. 18. num. 7. Quandoquidem neque expedit, ut quis laico dicat sua peccata, ob periculum diffamationis, & non observantiæ sigilli. Reginald. l. 1. cap. 1. num. 8. Gobat tract. 7. num. 19. Quoad Eucharistiæ administrationem, quamvis de præterito nullum sit remedium, fuit tamen sacrilega, ex eo, quod solus Sacerdos est ejus Minister. Conc. Trid. sess. 13. de Euch. cap. 8. D. Thom. part. 3. quæst. 82. art. 1. & 3. in corp. Anton. Volpi in Resol. Mor. Verb. Eucharistia resol. 59. num. 1. qui num. 4. & 5. excipit, nisi ex Privilegio Apostolico aliter fuisset concessum, ut de Maria Regina Scotiæ, quæ martyrium subitura, prius Sacramentum, quod apud se habebat, propriis manibus sumpsit. Et idem dicendum de Extrema Unctione, quæ invalide fuit collata à dicto famulo laico; nam minister hujus Sacramenti est solus Sacerdos. Concil. Trid. sess. 14. de Extr. Unct. c. 3. Cardin. Tolet. lib. 7. cap. 2. num. 1. Volp. Resol. 78. n. 1. Et ego in Decisionibus de Extrema Unct. decis. 9. Idemque de Matrimonio, ad fictitiū Capellani, & veri laici prædicti præsentiam celebratis; quæ ob defectum veri Parochi nulla fuerunt. Concil. Trid. sess. 24. de ref. Matrim. cap. 1.

A 2

Neque

Neque à reiteratione Sacramentorum, præcipue
 7 Confessionum, & Matrimoniorum excusare potest il-
 lud axioma, quod *Error communis dat jurisdictionem*;
 siquidem, cum laicus famulus communiter crederetur
 Sacerdos, & Capellanus Curatus, videntur valide abso-
 luti coram Deo poenitentes, qui bona fide apud eum
 sunt confessi, & valida fuisse Matrimonia cum ejus
 præsentia celebrata. Nam hujus axiomaticæ magna est
 controversia apud Doctores, quos referunt Sanchez de
Matrim. lib. 3. disp. 22. num. 46. Fagnan. in cap. *Ne*
imitaris. num. 380. de Constitutionib. & Passerin. de *Sta-*
tu hominum tom. 2. quæst. 187. num. 347. & licet aliqui
 velint, gesta sub hoc communi errore esse valida, quan-
 do aderat titulus coloratus proveniens à legitimo Su-
 periore, ut notant DD. supra citati; tamen deficiente
 dicto titulo, prout in casu nostro, & multo magis defi-
 ciente charactere Sacerdotali in prædicto famulo laico,
 tenendum est, absolutiones sacramentales, & Matrimo-
 nia nullitatis vitio laborare; & hæc, atque illas
 esse omnino repetendas, ut pluribus citatis concludunt
 Passer. d. quæst. 187. num. 347. Volp. resol. 163. num. 21.
 ubi Decretum Sacre Congregationis refert de reite-
 randis confessionibus errore detecto; quod docet et-
 iam Barbol. in collect. DD. ad Concil. Trident. sess. 23.
 de ref. cap. 15. num. 5. Molphel. tract. 7. cap. 13. num.
 20. & Diana part. 11. tract. 4. resol. 16. quæ in Coor-
 dinato residet tom. 1. tract. 3. resol. 26. & habet consi-
 miles resolutiones ante, & post.

DECISIO III.

ARGUMENTUM.

Explicatur Quid, & Quotuplex sit Interdi-
 ctum Ecclesiasticum, & Quæ Sacramenta,
 eo durante, possint ministrari.

SUMMARIUM.

- 1 Interdictum Ecclesiasticum quid sit? Et quot ejus
causæ?
- 2 Quotuplex sit?
- 3 Interdicti tempore quæ permittantur, & quæ non?
- 4 Martini V. Extravagans quid permittat circa ex-
communicatos, & interdictos?

Quia in jure statutum est, tempore Interdicti nonnulla
 Sacramenta posse administrari, & nonnulla admini-
 strari non posse. Quæritur, quæ eo tempore sint concessa?
 & quæ sint prohibita?

Pro clariori casus intelligentia præmittere oportet.

Primum; Quod interdictum est Ecclesiastica Cen-
 1 sura, aliquorum Sacramentorum usum, Ecclesiasticam
 sepulturam, & omnia divina officia activè,
 & passivè prohibens. Navar. in Man. cap. 27.
 num. 164. Card. Toletus lib. 1. cap. 51. An-
 ton. Volpi resol. 92. in *Introduc. num. 2.* Nicolius
Canonicar. lucubrat. tom. 2. lib. 5. tit. 39. num. 219. &
 Thom. Tamburin. de *Triplici Jure lib. 10. tract. 3.*
cap. 1. §. 1. Hujus autem censuræ quatuor sunt cau-
 sæ. *Efficiens*, nempe Summus Pontifex. cap. *Cuncta*
per mundum. 9. q. 3. *Judex* Apostolicus delegatus
 cap. 1. de offic. & pot. *Jud. deleg. cap. 2. de offic. leg.* *Ar-*
chiepiscopus, & Episcopus in locis sibi subjectis c. 1. &
tot. tit. de offic. & pot. Judicis ordin. Materialis remota,
 & est culpa gravis: & proxima, nempe loca, vel per-
 sonæ, quæ interdicto subjiciuntur. *Formalis*, quæ
 consistit in sententiæ verbis, quibus imponitur hæc
 censura; cui, cum est ab homine, monito debet præ-
 cedere; & debet pronunciari in scriptis cum causæ ex-
 pressionem; & *Finalis*, id est, correctio inobedientium.
 cap. fin. §. *In festivitibus. De Sent. excom. in 6. Car-*

din. Tolet. dict. lib. 1. cap. 52. Volpi d. resol. 92. &
 num. 1. & seqq.

Secundum. Quod Interdictum est Triplex. *Per-*
sonale, quando personæ interdicuntur. *Locale*, quan-
 do loca, nempe Ecclesiæ unius urbis, Regni, vel Pa-
 rochiæ interdicto subjiciuntur. Et *Mixtum*, quando
 tum personæ, tum loca; & in hoc casu personæ illius
 loci, etiam extra illum locum sunt affectæ interdicto.
 Porro omne interdictum vel est generale, cum tota Ci-
 vitas, vel Regnum, vel omnis populus interdicatur; vel
 est particulare, cum aliqua particularis Ecclesia, vel
 familia tantum interdicto subjicitur. Tamburin. d.
 lib. 10. tr. 3. cap. 1. §. 2. Volpi d. resol. 92. in *Introduc.*
num. 4. & seqq. Cardin. Tolet. d. lib. 1. cap. 51.

His præmissis pro resolutione casus dicendum est,
 tres haberi dispositiones juridicas in hac materia, nem-
 pe Juris antiqui, Juris novi, & Juris novissimi.

De Jure antiquo tempore interdicti conceditur: 1.
 Baptizare, & confirmare baptizatos. 2. Celebrare
 3 Missam semel in hebdomada ad renovandam Eucha-
 ristiam, quæ servatur pro infirmis. 3. Recitare horas
 canonicas sine cantu, à tribus tantum simul. 4. Ad-
 ministrare Poenitentiam, & Viaticum morituris. 5.
 Sepelire Clericos obedientes interdicto generali in cæ-
 meterio, cap. *Non est de sponsal. cap. Respons. 43. Vers.*
Præterea, & cap. quoniam. de Sent. excom. in 6. cap. Per-
mittimus. eod. tit. cap. Quod in re de Poenit. & remiss.
 Thom. Tamburin. d. cap. 1. §. 3. Suarez. de *Censur.*
tom. 5. disp. 34. sect. 3. num. 12. & Nicolius d. lib.
 5. tit. 39. num. 229. Barboza de offic. & pot. *Episc. alleg.*
 38. num. 13. Antonell. de *Regimine Eccles. militantis lib. 2.*
cap. ult. n. 5. Volpi dict. *resolut. 92. num. 1. & resolut. 93.*

De Jure novo Bonifacius Papa VIII. in cap. *Alma*
Mater. De Sent. excom. in 6. ulterius concessit, tem-
 pore Interdicti localis generalis (non etiam in speciali
 sive locali, sive personali.) 1. Ut ministri Ecclesiæ
 non interdicti personaliter possint quotidie in Ecclesi-
 is (non autem in Oratoriis privatis) celebrare Missas
 januis clausis, submissa voce, sine pulsatione campana-
 rum, exclusis semper populis subjectis interdicto; &
 præcipue illis, qui causam dederunt interdicto. Hurtad.
 de *Interdict. diff. 7. num. 11.* Tamburin. d. lib. 10. tract.
 3. cap. 1. §. 3. num. 5. in fine, & Antonell. d. lib. 2. cap.
 ult. num. 7. Concessit 2. ut divina officia publicè ce-
 lebrentur in diebus festis Natalis Domini, Resurrectio-
 nis, & Pentecostes, Assumptionis Sanctissimæ Virgi-
 nis, & Corporis Christi, ejusque octavæ (ex concessio-
 ne Martini V. & Eugenii IV.) nec non Conceptionis
 Deiparæ (ex Leonis X.) exclusis tantum illis, qui cau-
 sam interdicto dederunt. Tambur. d. §. 3. num. 7.
 & seq. Volpi d. resol. 93. Antonell. d. lib. 2. cap. ult.
 num. 6. Qui advertunt, altercati Doctores, num præ-
 dictis festis diebus laici sani communicari possint?
 Nam alii asserunt, alii negant; ut videre est etiam
 apud Dianam part. 5. tract. 10. resol. 83. Quæ in Co-
 ordinato legitur tom. 5. tract. 4. resol. 9. Por-
 ro infirmis nunquam denegatur Sacra Synaxis,
 quam consueto comitatu esse desiderandam ad eosdem
 probat Tamburin. in *opusculo de Commun. cap. 6. §. 7.*
 num. 34. & Bonacina de *Interdict. disp. 5. p. 3. §. 2. num. 1.*
 Non tamen à Sacerdotibus, qui causam dederunt In-
 terdicto, secluso necessitatis casu. Layman. lib. 1. tract.
 5. part. 5. cap. 2. n. 9. Concessit 3. ut tempore gene-
 ralis interdicti localis Poenitentia administrari possit
 tam sanis, quam infirmis; non autem illis, qui sunt
 specialiter interdicti, vel causam dederunt interdicto,
 nisi in articulo mortis, cum promissione, & cautione,
 satisfaciendi Ecclesiæ; sed non à Sacerdotibus perso-
 naliter interdictis, præterquam in extrema necessita-

tis casu. Tambur. d. lib. 10. tract. 3. cap. 1 §. 3. num. 13. & Antonell. d. lib. 2. cap. ult. num. 8. & 9. ubi concludendo inferunt, tempore Interdicti generalis cense-ri prohibita Sacramenta Extremæ Uctionis, Ordinis, & Matrimonii; nec non solemnitate exequiarum in danda sepultura: sed quia in his Doctores non sunt concordēs, consulantur Navar. cap. 27 n. 179. Barbosa allegat. 32. num. 197. & seqq. Avila de censur. part. 5. disput. 4. sect. 1. dub. 6. & alii, quos allegat ipse Antonell. d. c. ult. num. 9. & 10. & Nicolius d. lib. 5. tit. 39. num. 229. & seqq. ac novissimè Fagnan. in cap. Responso. à num. 23. & seqq. De Sent. Excomm. tom. 7. pag. 188. Pignatellus tom. 2. consult. 59. Volpi d. resolut. 93. num. 8. ubi tractant plenè de prohibitione Ecclesiasticæ Sepultura, quæ durante interdicto non permittitur in loco Sacro, nisi Clericis in sacris, qui servaverunt interdictum, & ei causam non dederunt.

- 4 De Jure tandem novissimo ex Decreto Martini Papæ QUINTI in Concilio Constantiæ emanato; quod permittit communicare cum fidelibus quacunque censura ligatis, tam in divinis, quàm in humanis, dummodo non fuerint publicè denunciati, vel Clericorum publicè percussores. Extravag. Ad Evitanda, quam ad litteram refert S. Antonin. in 3. part. tit. 25. c. 2. Sylvest. in Verb. Excommunicatio §. num. 7. Vers. Sciendum est quarto. Et Sotus in 4. dist. 22. q. 1 art. 4. ubi quis non sit specialiter suppositus Interdicto, & publicè denunciatus sive locus, sive persona, omnia divina officia, Sacramenta, ac Ecclesiastica sepultura erunt concessa. Tamburin. d. lib. 10. tract. 3. cap. 2. Sæ Verb. Interdictum. Porro quia supradicta Extravagans Martini V. patitur nonnullas exceptiones circa Excommunicatos, qui si sint notorii, licet non denunciati, evitari debent, ex subsequenti Decreto Concilii Lateranensis sub Leone X. ideo pro ejus intelligentia videatur Fagnanus in cap. Quod à Prædecessore. De Schismaticis à num. 39. & seq. tom. 6. pag. 231.

DECISIO IV.

ARGUMENTUM.

Inquiritur, an fuerint Sacramenta in lege Naturæ, & Mosaica? & Quæ? Adam qua die, & hora sit creatus? Ac quando lapsus sit in peccatum?

SUMMARIUM.

- 1 Status tri. s. hominum ante legem Evangelicam.
- 2 Adam qua hora creatus sit? & qua hora peccaverit?
- 3 Ade durante innocentia an fuerint Sacramenta?
- 4 Adam si non peccasset, an data essent Sacramenta? Quod non.
- 5 Argumenta pro affirmativa.
- 6 Sacramenta an fuerint in lege naturæ? & quæ?
- 7 An in lege Mosaica, & quæ fuerint?

Uterius queritur, an in statu Innocentiæ fuerint Sacramenta? prout etiam in lege Naturæ, & in lege Mosaica, & quæ, & qualia fuerint? Pro resolutione hujus quesiti, duo sunt faciendæ præmissæ. Unum, quod ante legem Evangelicam fuerint tres status, scilicet Innocentiæ, Naturæ, & Legis scriptæ. Bonacina. de Sacram. in genere disput. 1. quest. 1. punct. 3. num. 1. Status Innocentiæ fuit ille, in quo Adam creatus extitit cum Justitia originali; de cujus status duratione non sunt concordēs Ecclesiastici Scriptores; nam alii volunt, Adam fuisse creatum hora prima diei sextæ, translatum in terrestrem Paradisum hora tertiæ, gustasse de ligno vetito hora sextæ; & ejectum de Paradiso

hora nona; Ideoque Redemptorem nostrum, Christum Dominum voluisse hora prima, flagellari, hora tertia sententiari, hora sexta Cruci affigi, & hora nona spiritum emittere. Torniel. in Annalib. Sacris Anno Mundi Primo num. 21. Alii scribunt, Adam creatum sexta die, ejectum fuisse de Paradiso die septima. Abulens. super Gen. cap. 13. Alii tenent, Adam permansisse Innocentem sex diebus, (& hæc est magis communis opinio. Sallian. ad Annal. Mund. die septimo num. 6.) Alii tandem, quod duraverit absque peccato diebus quadraginta, & hac de causâ Salvatore voluisse jejunare quadraginta diebus ad delendum Adæ peccatum; ut notant præter citatos Torniel. Sallian. & Abulens. Pererius lib. 6. num. 184. & Cornelius à Lapide Vess. 23. tertii capitis Genesios. Secundus status fuit legis naturæ, in quo vixerunt homines post lapsum Adæ usque ad tempus Moylis, cui data fuit lex scripta, anno videlicet à creatione Mundi 2458. ut observat Sotus de Justitia, & Jure lib. 2. quest. 1. art. 3. in princ. Tertius autem status fuit ipsius legis Mosaicæ, qui duravit usque ad Salvatoris adventum, qui natus est de MARIA VIRGINE anno Mundi 5199. ut in Martyrologio Romano die 25. Decembris. At secundum DD. Ann. 1451.

Secundum Præmissum fuit, quod propositum quesitum potest intelligi dupliciter: primo, An de facto durante innocentia Adæ, fuerint Sacramenta? Secundo, an fuissent Sacramenta, si Adam, & ejus posteris stetit in innocentia? Quibus sic notatis; respondetur ad Quesitum (quoad primum intellectum) negativè; quod scilicet per illud parvum tempus, quo Adam duravit in innocentia, nullum fuit institutum Sacramentum ex communi placito Theologorum, & Castistarum, quos citat Bonacina d. disp. 1. de Sacram. in gen. q. 1. punct. 3. num. 2. Layman. lib. 5. tract. 1. cap. 3. num. 2. Ant. Volpi Resolut. Moral. 165. num. 4. & Emin. Card. de Lugo de Sacram. in gen. disp. 3. num. 5. Quo verò ad secundum intellectum negarunt Thomistæ, affirmarunt Scotistæ.

Qui negant Sacramenta futura fuisse, etiam si Adam persistisset in Innocentia unâ cum posteris suis, moventur hisce rationibus: 1. Quia Sacramenta ordinantur ad sanctificandos homines, eosque erudiendos de rebus supernaturalibus. Sed posteris omnes Adam, eo non peccante, accepissent per modum naturæ gratiam, & scientiam necessariam ad eos dirigendos in operibus justitiæ supernaturalis. Ergo superflua fuissent Sacramenta. 2. Sacramenta sunt necessaria vel ad recipiendam gratiam, vel ad eam conservandam, vel ad eam augendam. Sed ex his tribus ad nullum indiguissent homines Sacramentis in statu innocentia, quia creati fuissent, & nati in gratia; nulla fuisset rebellio inferioris appetitus contra superiorem; ex qua impugnaretur conservatio gratiæ, quæ crevisset in hominibus, sicut & in Angelis per actus virtutis absque applicatione Sacramentorum. 3. Ubi nulla est infirmitas, ibi non est opus medicina Matth. 9. sed in statu innocentia non fuisset infirmitas culpæ; ergo neque Sacramenta, quæ sunt medicina ad curandum peccatum originale, & actuale. 4. Omnia Sacramenta habent vim, & efficaciam ex passione, & morte Christi: sed si Adam non peccasset, Christus non esset passus, neque mortuus; ergo non fuissent Sacramenta. Ita ex S. Thom. 3. part. q. 61. art. 2. & in 4. dist. 1. q. 2. art. 2. Gonet in Clypeo Theolog. Thomist. tom. 5. disp. 2. art. 1. §. 2. num. 10. & seqq. ubi Sotus, Ledelma, Suarez, & alii allegantur.

E contra Scotistæ affirmarunt, futura Sacramenta, etiam si Adam perseverasset unâ cum posteritate in sta-

SUMMARIUM.

1. Parochi quam frequentes esse debeant in administrandis Sacramentis Confessionis, & Communionis?
2. Parochi non assidui in ministrandis Sacramentis peccant mortaliter.
3. Pestis tempore an Parochi teneantur residere? Et Sacramenta suis manibus ministrare?

Quidam Parochus protestatur suis ovibus, se ad Sacramenta Confessionis, & Communionis semel in mense administranda paratum fore; sæpius autem nequaquam. Queritur, an gravis culpa se reum constituat? Circa hoc quaesitum reperitur duæ opinioniones diversæ: Una, quæ distinguit, vel iste Parochus est in Civitate, ubi plurimi sunt Confessarii Sæculares & Regulares expositi ad excipiendas confessiones fidelium, & iisdem exhibent Sacram Synaxim? Et hic non est reus gravis culpæ, ea ratione, quia oves sibi creditæ nullum patiuntur detrimentum, cum habeant alios Confessarios, à quibus sine magno incommodo recipere possunt Sacramenta. Vel Parochus est in loco campestri, vel montibus, ubi desunt alii Confessarii, qui satisfaciunt necessitati, seu devotioni petentium Parochianorum suorum Sacramenta? & in hoc casu mortalis culpæ reus erit. Ita Possévinus de offic. Curati cap. 5. §. 7. Diana, qui eum refert, & ejus opinionem dicit probabilem part. 2. tract. 16. ref. 2. in fine, quæ collocata est in Coordinato tom. 1. tract. 6. resol. 42. & Reginald. in Praxi fori Pœnitent. lib. 29. num. 96.

Altera est opinio, quæ facit hunc Parochum reum omnino culpæ mortalis, siue sit in Urbe, siue in Villis, ob sequentes rationes: 1. Quia Parochus tenetur ex officio, & ex justitia administrare Sacramenta non solum in casu necessitatis, & in Pœschate, sed etiam quotiescumque sui Parochiani illa rationabiliter petunt. Bonacina de Sacram. Pœnit. disp. 5. §. 7. punct. 4. §. 2. num. 23. Sed qui vult confiteri peccata sua, & Eucharistiam sumere omnibus Dominicis diebus; laudabiliter facit secundum exhortationem Divi Augustini in cap. Quotidie de Consecrat. dist. 2. Ergo iste Parochus, qui protestatur nolle administrare Sacramenta, nisi semel in mense, deest officio suo, cui tenetur ex justitia, & sic mortaliter peccat. 2. Quia juxta Concil. Trident. sess. 23. de ref. cap. 1. Præcepto Divini mandatum est omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his Sacrificium offerre, verbique divini predicatione, ac bonorum omnium operum exemplo pascere. Sed non diceretur pascere oves sibi creditas iste Parochus, qui nollit in festivis diebus intra mensem occurrentibus, præcipue magnæ devotionis, Sacramenta administrare. Ergo reus culpæ gravis est censendus. Gobat. in Experiment. Theol. tract. 1. num. 105. & tract. 4. num. 401. 3. Siquidem Parochus est Medicus spiritualis animarum, Isa. cap. 1. Mosconius de Majestate Militan. Eccl. lib. 1. part. 1. cap. 20. pag. 346. Sed male fungeretur officio suo, tardando per mensem mederi infirmo, plagam mortalem habenti, id est, mortale peccatum, ubi peteret confiteri, Coton. Illustr. controuv. lib. 3. controuv. 6. num. 10. Bissus in Hierurgia litt. P. num. 162. §. 18. Ergo. 4. Nam Parochus tenetur ex officio consulere spirituali profectui suorum populorum; qui præcipue pendet ex frequentia Confessionis, & Communionis. Layman lib. 5. tract. 6. cap. 13. num. 2. Quæ quidem frequentia in hac Diœcesi habetur singulis diebus festivis, & præcipue in solemnitatibus Apostolorum, ac Deiparæ; & de jure consuetudo Diœcesis est attendenda. 5. Quia extat Præceptum Eminentissimi ac Reverendissimi Nostri Præfatis, ut Parochi, singulis diebus festivis sedeat in Confessionali-

bus, in innocentia. Horum rationes præcipuæ sunt: 1. In statu innocentia convenientius fuisset exercere actus externos Religionis pro Dei cultu. Sed hi consistunt præcipue in Sacramentis. Ergo Sacramenta fuissent instituta. 2. Filii Adam etsi nati fuissent in gratia, tamen non statim essent in ea confirmati; & interim peccare potuissent. Igitur indigni fuissent Sacramentis, ut munirentur, ne peccarent; vel ut resurgerent à culpa, si peccassent. 3. Motiva Sacramentorum desumuntur vel ex parte facientis, nempe ex Dei misericordia, & liberalitate; & non minus Deus tunc fuisset liberalis, quam in præsentia: vel ex parte indigentis, id est, hominis ad Deum diligendum, peccatum odio habendum, charitatem inter familias, servandam, & superioritatem cum dignitate exercendam; & ex parte lapsorum ad resurgendum. Sed pro his omnibus valde profuissent Sacramenta. Ergo. 4. Efficacia Sacramentorum provenit ex meritis Christi. Sed licet Christus passus non esset, si Adam peccatum non commisisset, tamen incarnatus esset, & summe meruisset ex virtute summae gloriæ, & summae gratiæ. Ergo. 5. Non omnia Sacramenta data sunt præcisè ob respectum peccati, sed ut magis homo uniretur Deo, ut in Eucharistia; & corroboraretur in ejus amore, ut in Confirmatione. Ergo etiam in statu Innocentia fuissent Sacramenta. Hanc opinionem tenet, & pluribus argumentis, ac motivis confirmat Emin. Cardin. de Lauræa tom. 1. de Sacram. in gen. disp. 4. art. 2. ubi objectis occurrit; & subtiliter ea solvit; firmando hanc opinionem habere majorem congruentiam tum respectu divinæ Munificentia, tum humanæ conditionis in exercitio Theologicarum Virtutum, quod resultat ex existentia Sacramentorum.

Quod si quaeramus, an fuerint Sacramenta in lege Naturæ? Omnes Theologi concorditer dicunt, ea fuisse: Unum pro parvulis in remedium originalis peccati, & erat protestatio fidei de futuro Messia, per quem salvandi erant, facta à Parentibus. Altera pro adultis in remissionem peccatorum actualium, & erant actus virtutis pœnitentia, Sacrificia, Oblationes, & Decimæ: ut Theologi disputant, & docent non solum Morales, Layman. d. lib. 5. tract. 1. cap. 3. num. 2. & 3. Bonacina d. tom. 1. de Sacram. in gen. disp. 1. punct. 3. n. 7. Volpi resol. 165. num. 6. & 7. sed etiam Scholastici, Emin. Card. de Lugo de Sacramentis disp. 3. sect. 2. Gonet, pluribus citatis, d. tom. 5. disp. 2. art. 2. §. 1. 2. & 3. & novissime cæteris profundius, & plenius Emin. Cardinalis de Lauræa dict. tom. 1. de Sacram. disp. 4. art. 3. 4. 5. & 6.

Quo verò ad illud, An in Lege Mosaica fuerint Sacramenta, & quæ? pariter omnes Scholastici affirmant, fuisse; sed non concordant in iis nominandis, nisi in circumcissione, quæ communi voto Doctorum censetur Sacramentum Legis Veteris. Porro præter eam alia fuerunt Sacramenta, videlicet Eius agni Paschalis, Sacerdotum ordinationes, panes propositionis, purificationes ab immunditiis, expiationes pro peccatis, manuum ac pedum ablutiones, & pilorum rationes; de quibus supracitati DD. Layman, Bonacina, Volpi, Gonet, & Eminentiss. de Lugo, & de Lauræa locis citatis.

DECISIO V.
ARGUMENTUM.

Demonstratur, An Parochi, debeant esse assidui in administratione Sacramentorum? Quando peccent ob desidiam? Et An tempore Pestis debeant ea propriis manibus ministrare?

bus, commodum exhibentes Parochianis ad frequenter confitendum, & communicandum; ut in Decretis Congregationis Generalis habitæ coram Eminencia sua die 26. Septembris 1684, in quibus ad tertium ita legitur: 3. *Et quoniam Sanctissima Sacramenta sunt Divina medicamina, quibus animarum spiritualibus languoribus est medendum: iisdem Parochis cordi sit, juxta laudabilem eorum consuetudinem, ut singulis festivis diebus, in eorum Ecclesiis Sacramentorum uberrima dispensatio tum Penitentiae, tum Sacra Synaxis habeatur.* Sed transgredi Præceptum Episcopi est mortale peccatum. *Cap. 2. de major. & obediens. Nicol. Canonic. lucubr. lib. 1. tit. 33. num. 5. Ampl. 2.* Ergo prædictus Parochus reus erit mortalis peccati. Et hanc opinionem amplexa est Curia nostra Episcopi, tum ex rationibus allatis, tum ex auctoritate Navarri, Soti, Suarezii, Filliucii, & aliorum DD. quos citat, & sequitur Bonacina de *Penit. Sacram. d. disput. 5. q. 7. punct. 4. §. 2. num. 23.* nec non Azorii, Coninchi, & Mollæhi, quos allegat Diana in *resol. 42. supradicta §. 1.*

Sed non minus dignum scitu est sequens Quæsitum, videlicet: *Tempore pestis Parochus residens an vult derelinquere, ut securitati vite sue consulat. Queritur, an absque lethali culpa id facere valeat?*

Plures plura dicunt pro hujus casus resolutione: sed quia propositus fuit olim Sacra Congregationi Concilii per Sanctum Carolum Borromæum Anno 1576, satis sit ejusdem Sacrae Congregationis, (quæ prius egerat de hoc cum Summo Pontifice) responsum referre; quo significavit eidem Sancto Archiepiscopo, Parochos tempore Pestis teneri omnino residere in suis Ecclesiis Parochialibus, posse tamen per alium idoneum ministrare Parochianis suis peste infectis Sacramenta Baptismi, & Penitentiae; & si non residerint, contra eos procedendum esse servata forma *cap. 1. sess. 23. de ref. in Conc. Trid.* Ita notat Fagnan. in *cap. Clericos. num. 45. de Cleric. non residen. tom. 4. pag. 80.* & Nicolius *Canonic. lucubr. lib. 3. tit. 4. num. 9.* Quibus ad stipulantur Cotton. *dict. lib. 3. contrav. 6. num. 11.* Diana *part. 5. tract. 3. resol. 53.* Quæ sedem obtinet in *Coordin. tom. 2. tract. 2. ref. § 8.* & Gobat. *d. tract. 1. num. 116.* ubi subdit monita pro Parochis tempore Pestis, ut residere, & Sacramenta tuto administrare valeant.

DECISIO VI.

ARGUMENTUM.

Explicatur in hac Decisione, quæ materia sit apta? quæ inepta? & quæ dubia in quocunque Sacramento? Et docetur, quomodo Materia, & Forma debeant simul coexistere.

SUMMARIUM.

- 1 Mutatio materia, quæ noceat valori Sacramentorum;
- 2 Materia Sacramentorum alia remota, alia proxima.
- 3 Baptismi materia quæ apta, quæ inepta, quæ dubia.
- 4 Confirmationis materia apta, inepta, dubia.
- 5 Eucharistia materia triplex prædicta.
- 6 Penitentia materia, ut supra, triplex.
- 7 Extrema quoque Unctionis.
- 8 Ordinis materias an Christus Dominus instituit in specie infima? Et quæ sint aptæ in quocunque ordine?
- 9 Matrimonii quæ sit materia?
- 10 Materia, & forma Sacramentorum an debeant simul coexistere?

Sed in primis, & ante omnia examinare oportet, & bene intelligere. Quæ mutatio materiæ noceat

valori Sacramentorum? Et quidem respondetur, nocere Sacramentorum valori omnem mutationem substantialem; illam scilicet, quæ habeat vim mutandi materiam aptam in materiam ineptam: quod si mutatio sit tantum secundum qualitatem, ita ut reddat tantummodo materiam dubiam; etsi subsistere possit valor Sacramentorum; nihilominus utens dubia materia peccaret mortaliter, nisi excusaretur ob magnam necessitatem, & faceret Sacramentum sub conditione, si materia est apta. *cap. si nulla. de Consecrat. dist. 4. Gobat. in Experim. Theolog. tract. 2. à num. 36. & seqq. Diana par. 5. tract. 3. resol. 1.* quam in Coordinato reperiet lector *tom. 1. tract. 1. ref. § 2.* & Emin. Cardin. de Lauræa *dict. tom. 1. disp. 2. art. 4.*

Ceterum, quia plurimi de Clero nostro collegerunt in specie materias remotas omnium Sacramentorum; (nam proximam esse applicationem remotæ, neminem latet, ut in singulis Sacramentis explicabitur) nolui, me pingeret earumdem materiarum transcriptionis, pro majori Quæsitum hujus intelligentia, & in obsequium studentium; quibus unico intuitu facile erit cognoscere, quænam sit materia apta, quænam inepta, & quænam dubia cujuscunque Sacramenti.

Baptismi materia apta.

Aqua Naturalis, id est, elementaris, benedicta, tam calida, quam frigida, Fluminis, Maris, Pluvialis, Putei, Fontis, Paludis, aut Balnearum sulphureorum.

Aqua resoluta ex Nive, ex Gelu, ex Grandine, seu Glacie.

Aqua transfusa per venas metallicas, acetosæ, falsæ, Aqua collecta ex vaporibus densatis evaporatis ex olla; & repertis in operculo testaceo.

Aqua adunata ex parietibus, & lapidibus desudantibus.

Aqua cadens ex foliis arborum.

Aqua mixta cum modico vino, aut alio liquore.

Aqua, in qua sunt leviter coctæ carnes, vel pisces, ita ut liquor plus habeat de natura aquæ, quam de substantia corporum lixatorum in eo.

Baptismi materia inepta.

Aqua ebullita cum Vino seu Aceto.

Cerevisia crassa, & multum cocta.

Sanguis tam humanus, quam bestiarum.

Brodium, seu Jus valde inspissatum.

Lixivium valde decoctum cum cineribus.

Succus pomorum, pyrorum, ceraforum.

Lac, Urina, Saliva, Lacrymæ, Pituita, Sudor.

Aqua supernatans cruori, seu sanguini extracto.

Aqua emanans à corpore hydropici.

Aqua non valens abluere ob mixturam aliarum rerum.

Aqua mixta coloribus ad pingendum.

Pulmentum, & Ossa hordeacea bene cocta.

Atramentum, seu Aqua bullita cum aloë, galla, vel mixta cum Vitriolo, aut gummis.

Nix, Grando, Glacies, & Pruina, antequam resolvantur.

Baptismi materia dubia.

Aqua rosacea.

Cerevisia tenuis, & parum cocta.

Succus exprellus ex herbis, ut aqua ex cicorea.

Aqua turbida expressa ex luto.

Brodium carnis, seu Jus non satis coctum.

Lixivium mediocriter bullitum.

Liquores per alchimiam educti ex floribus, seu plantis.

Aqua soluta de sale.

Aqua

Aqua tinctoria, & nigra; si nihil, aut parum sit ebullita cum ingredientibus foliis, seu lignis.

Hæc omnia affirmantur à Doctoribus infra scriptis, videlicet à S. Thom. 3. p. q. 66. art. 4. Suarez tom. 3. disp. 3. q. 1. sect. 3. Diana Coordinato tom. 1. tract. 1. à res. 50. usque 55. Sylvest. Verb. Baptismus 2. §. 4. Bonacina tom. 1. de Sacram. Bapt. q. 2. punct. 3. num. 2. Laymano lib. 5. tract. 2. Cap. 3. Gobato in experim. Theol. tract. 2. sect. 1. per totam. Cotonio in Sum. Diana Verb. Baptismi materia. Et in suis Controvers. lib. 2. Contr. 2. Tamburino de Triplici Jure lib. 2. de Sacram. Bapt. cap. 1. §. 1. Goneto tom. 5. tract. 3. disp. 1. art. 2. Anc. Volpio resol. 6. Mastrio in 4. sentent. disp. 2. num. 33. Et Eminentiss. Card. de Lauræa in 4. sent. tom. 1. disp. 12. art. 2.

Confirmationis materia apta.

Chrisma confectum ex oleo olivarum, & balsamo, ab Episcopo solemniter benedictum anno illo.

Confirmationis materia inepta.

Oleum simplex, de per se, seu separatim. Balsamum de per se solum, seu separatim. Chrisma non benedictum ab Episcopo consecrato. Balsamum mixtum cum Oleo Nucum, vel Piscium, vel ex semine lini, vel Amygdalino, vel roseo. Quodvis Unguentum ex aliis mixturis confectum.

Confirmationis materia dubia.

Oleum benedictum ab Episcopo, sed sine balsamo, ut est oleum infirmorum, seu parvulorum.

Ita ex S. Thom. 3. p. q. 72. art. 3. Pace Jordano tom. 1. lib. 3. tit. 2. n. 33. & ex P. Eusebio Jordano ejus fratre in *Schedula Sacrament. impressa in d. tom. 1. dist. lib. 3. post tit. 7. Gobato d. tract. 2. casu 21. à num. 743. & seqq. Laymano d. lib. 5. tract. 2. cap. 2. Quintanadvena de Confirm. sing. 3. Tambur. de Tripl. Jur. lib. 3. cap. 1. §. 1. Diana Coord. tom. 1. tract. 2. resol. 1. & 2. Goneto tom. 5. tr. 3. disp. 6. art. 2. Cotonio Controv. 3. cap. 1. à n. 2. Bonac. tom. 1. de Confirm. disp. 3. qu. unic. punct. 3. Volpio resol. 35. Mastrio in 4. Sent. d. disp. 2. q. 8. art. 1. & in Theolog. mor. disp. 17. num. 67.*

Eucharistia materia apta.

Panis triticeus, azymus, coctus igne, per modum assationis, factus cum aqua naturali.

Vinum ex vitibus defacatum; cui aut nulla, aut pauca, aut minor pars aquæ sit immixta ad ebullendum simul.

Mustum in casu necessitatis expressum ex Uvis.

Eucharistia materia inepta.

Panis ex Avena, hordeo, rido, seu castaneis. Panis ex Mellica, Surgo, seu Frumentono. Panis ex farina Amydi. Panis factus ex aqua rosacea, vel alio liquore, etsi triticeus.

Panis cum multo butyro, pipere, vel pinguedine, aut melle, ut vulgò *buzzaladi*, vel *segacciete*.

Panis in pasta cruda, elixus, lagana, pultis.

Pastilli farinacei, vulgò *Macheroni*.

Vinum cum æquali, aut majori aquæ admixtione.

Vineta, vulgò *Grassia*.

Succus Agrestæ, & Acetum.

Vinum in ossa panis imbibitum, vulgò *zuppa*.

Vinum malorum granatorum, aut mororum, vel aliorum fructuum.

Uva, quæ non sit expressa.

Eucharistia materia dubia.

Panis è Spelta, Siligine, seu Secala, vel Farre. Panis, in quo sit mediocriter mixtum butyrum, mel, piper, vel pinguedo, aut oleum.

Panis factus cum aqua maris.

Holstia rubra, quibus utimur ad figillandas litteras; id est, mixta cum cinabrio,

Vinum acidum.

Vinum mixtum cum magna aquæ quantitate.

Vinum congelatum.

Vinum expressum ex Uvis passis.

Ita ex S. Thom. 3. p. q. 74. art. 3. Gobato d. tract. 3. à num. 26. & seqq. Bonacin. de Sacram. Euchar. tom. 1. disp. 2. q. 2. punct. 1. Volpio resol. 51. Cotonio lib. 2. Controv. 4. cap. 1. Goneto tom. 5. tract. 4. disp. 3. art. 1. & 2. Tambur. de triplici Jur. lib. 4. cap. 1. §. 2. Laymanno lib. 5. tract. 4. cap. 2. & Summa Diana Verb. Euchar. Materia. Mastrio in 4. sent. disp. 3. q. 3. art. 1. Emin. Card. de Lauræa de Euchar. disp. 18. art. 1. 2. 3.

Pœnitentie materia apta.

Peccata actualia commissa post Baptismum. Peccata fictionis, de quibus aditus, dum baptizatur, non dolet, seu habet voluntatem illam committendi.

Pœnitentie materia inepta.

Peccatum originale. Imperfectiones naturales propriè dictæ. Peccatum, quod falsò existimatur commissum. Peccatum, de cujus commissione Pœnitens est dubius.

Pœnitentie materia sufficiens.

Peccata actualia commissa post baptismum, quamvis sola Venialia, vel peccata jam confessa, & aliàs absoluta.

Ita ex Conc. Trid. sess. 14. cap. 7. ex S. Thom. 3. p. q. 84. art. 2. Gobato tr. 6. n. 7. & 8. Tambur. de tripl. Jur. lib. 5. cap. 1. Goneto tom. 5. tract. 5. disp. 1. art. 3. Volpio anteresol. 143. num. 8. Bonacina de Sacram. Pœnit. disp. 5. q. 3. punct. 1. Eusebio Jordano d. tom. 1. Episc. Tragaruriensis fratris sui lib. 3. tit. 7. Cardin. Toletto lib. 3. cap. 3. Mastrio d. tom. 4. Sent. disput. 5. q. 12. num. 339. & Eminen. Card. de Lauræa tom. 2. de Sacram. Pœnit. disp. 17. art. 1. 2. 3.

Extrema Unctionis materia apta.

Oleum olivarum ab Episcopo benedictum eo anno.

Oleum non benedictum additum in parva quantitate oleo benedicto.

Chrisma, id est, oleum olivarum benedictum ab Episcopo cum mixtione balsami.

Materia inepta.

Oleum, quod non sit ex olivis.

Materia dubia.

Oleum olivarum non benedictum. Oleum olivarum benedictum, cui additum sit in majori quantitate oleum non benedictum.

Ita ex Tamburino lib. 6. cap. 1. §. 1. Toletto lib. 7. cap. 1. Sum. Diana Verb. Extr. Unct. Materia num. 7. Gobato tract. 8. casu 21. à num. 387. Quintanad. tract. 5. singul. 1. & 2. Goneto tom. 5. tract. 6. disp. 1. art. 2. Laymanno lib. 5. tract. 8. cap. 2. Cotonio lib. 2. controv. 15. n. 4. Emin. Cardin. de Lauræa tom. de Sacram. Extr. Unct. disp. 11. art. 3. num. 30.

Ordinum materia.

Notarunt in primis, Christum Dominum non determinasse in specie infima materias, & formas omnium Ordinum, sed aliquorum in subalterna tantum; docendo Apostolos, ut Ordines aliqui conferrentur per instrumentum, quo significaretur eorum potestas. Cardin. Bellarmin. Suarez. Tanner. & alii apud Gobatum tract. 2. num. 7. & Layman. lib. 5. tract. 11. cap. 5. num. 2. in fin.

Prima

Prima Tonsura materia propria non est, quia non est propriè ordo: sed quasi materia est abscissio capilorum.

Ostiatorius materia sunt claves Ecclesiæ; ceremonia verò est aperire, & claudere fores eius, & pulsare campanulam, ad denotandum officium hujus ordinis.

Lectoratus materia est liber continens sacras lectiones, id est, epistolas, & prophetias.

Exorcistatus materia est liber exorcismorum, qui apud nos est Rituale Romanum, in quo sunt exorcismi.

Acolytatus materia est duplex, Candelabrum cum cereo extincto. Et Urceoli vacui. An autem utraque sit de essentia, vel una sufficiat, sunt opiniones DD. diversa, & omnes probabiles.

Subdiaconatus materia est duplex Calix, & Patena sine vino, & sine hostia: & liber Epistolarum. Quod si porrigeretur Calix sine patena, vel patena sine Calice, vel si Calix, & patena non essent consecrati, esset materia dubia; prout si liber deficeret.

Diaconatus materia duplex est. Liber Evangeliorum: Et impositio manus dexteræ facta ab Episcopo super caput ordinandi. Utrum verò una tantum materia sufficiat, altercantur Doctores; & idè una tantum esset materia dubia. Item si traderetur liber Actuum Apostolorum, Epistolarum Pauli, & Apocalypsis. At apta esset materia Testamentum novum, ac tota Scriptura Sacra. Non autem solum testamentum vetus.

Sacerdotii materia duplex est. Una Calix cum vino, & Patena cum hostia. Altera est ultima impositio manuum ab ipso Episcopo facta ipsi Sacerdoti. Si una sola adhiberetur ex his materiis, esset imperfecta ordinatio; quia per primam materiam confertur potestas consecrandi Corpus Christi; per secundam verò absolvendi à peccatis; & hæc duæ potestates sunt inter se distinctæ. Si deficeret hostia in Patena, vel vinum in calice, esset materia dubia. Si hostia, & simul vinum deesset, materia foret inepta.

Episcopalis ordinis materia est impositio manuum facta à tribus Episcopis super caput consecrandi. At impositio libri Evangeliorum supra cervicem, & scapulas electi, Unctio sacra in capite & in manibus, non censentur de essentia consecrationis Episcopi; quamvis multi contradicant.

Ita ex Vasquez tom. 3. disp. 240. cap. 5. Dicastillo tract. 6. de Ordin. disput. 1. num. 126. Gobato tract. 8. num. 137. Laymano l. 5. tract. 11. cap. 5. Volpio resol. 137. Bonacina tom. 1. de Sacram. Ord. disp. 8. punct. 3. Tamburino de Tripl. Jur. lib. 7. cap. 2. 3. 4. & 5. Pace Jordano tom. 1. Prelud. 4. Cotonio lib. 3. contr. 1. cap. 2. num. 22. & 23. Diana Coord. tom. 4. tract. 8. per plures resolut. Fagnano in cap. cum venisset num. 72. de Sacram. Unct. tom. 2. pag. 298. & Emin. Cardin. de Lauræa tom. 3. de Sacram. Ord. disp. 7. art. 6. ubi tamen tenet etiam impositionem libri Evangeliorum super caput ordinati esse materiam ordinis Episcopalis.

Matrimonii materia apta.

Sunt ipsi contrahentes, qui sunt immunes, & liberi à quocunque impedimento: nam si afficiantur aliquo impedimento dirimente, efficiuntur materia inepta.

Ita ex DD. per me cum latis in Decisionibus anni 1684. Mense Januarii ad primum Questum, & præcipue ex Eminen. Cardin. de Lauræa in 4. sent. tom. 3. De Sacram. Matrim. disp. 13. art. 3. & 4.

Doct. Clericali Tom. 1. Liber 1.

Tandem dubitatur, An materia, & forma debeant simul coexistere? Circa quod oportet distinguere Sacramentum Pœnitentiæ, & Matrimonii ab aliis quinque Sacramentis. Nam in illis duobus, pœnitentia scilicet, & Matrimonio, formam non posse coexistere cum materia dicunt Doctores, liquidem accusatio peccatorum, quæ est Materia proxima pœnitentiæ debet præcedere; absolutio verò, quæ est forma, ut subsequatur est necesse. Similiter in Matrimonio traditio corporum, quam faciunt contrahentes, & quæ est materia proxima, debet præcedere formam, videlicet verba, quibus ipsi accipiunt eam traditionem. Gobat in Experiment. Theolog. tract. 1. n. 25. & 26. Et licet notabilis distantia interveniat inter Materiam, & Formam, in his duobus Sacramentis, nihil obstat eorum validitati. Suarez, tom. 4. de Pœnit. disp. 18. sect. 4. num. 2. Volpi. resol. 168. num. 1.

At in aliis quinque Sacramentis materia, & forma debent simul coexistere, non tamen physice, sed moraliter; ita ut simul materia, & forma nisi sit in omnibus suis partibus, saltem in aliqua parte physice conjungatur; & quando contingat, materiam totam applicari ante prolationem formæ, vel formam totam proferri ante applicationem materiæ; statim & post brevem morulam efficiatur ipsa simul, ut coexistere dicantur Materia, & Forma saltem moraliter: Ratio est, quia Sacramentum est morale quoddam compositum ex re sensibili, & verbis, quæ illam determinant ad significandam gratiam. Ergo sufficit moralis conjunctio rei, & verborum, Diana Coord. tom. 1. tract. 1. resol. 5. & resol. 62. Bonacina De Sacram. in gen. tom. 1. disp. 1. qu. 2. punct. 2. Layman. lib. 5. tract. 2. cap. 7. quest. 3. Sæ Perb. Extrema Unctionum. 14. Gobat. d. tract. 1. num. 27. Coton. Controvers. illustr. lib. 2. contr. 2. cap. 1. num. 12. Volpi. ref. 6. num. 9. resol. 147. num. 1. & 168. n. 1. & Emin. Cardin. de Lauræa d. tom. 1. disput. 18. artic. 5. num. 122. ubi mirabiliter notat, quod in consecratione Eucharistiæ materia, & forma debent physice coexistere, quia verba consecrationis diriguntur ad materiam præsentem; & idè nulla mora est permixtibilis inter materiam, & formam.

DECISIO VII.

ARGUMENTUM.

Dilatatio quanta esse possit absolutionis in confessione? Nec non Unctionum inter se in Extremæ Unctionis Sacramento?

SUMMARIUM.

1. Dilatio inter confessionem, & absolutionem quanta possit esse?
2. Pœnitentiæ Sacramentum datur per modum judicii.
3. Extrema Unctio an interrumpi possit ob confitendum ab infirmo aliquod peccatum?
4. Confessiones aliquorum cur sint prolixæ?
5. Extrema Unctio non completa, quando repetenda Unctiones jam factæ?
6. Extrema Unctionis quot unctiones sint de essentia Sacramenti?
7. Unctiones omnium sensuum an sint de essentia Sacramenti?
8. Unctiones omiſſæ quando supplendæ in Extrema Unctione?
9. Statim significat modicum intervallum temporis.
10. Si dicto est conditionalis.

Prochus, audita proluxa confessione Lucii in Ecclesia, quia centena persona Sacram Communioneopperiebatur, rogat Lucium expedire aliquantulum

B

lum

lum, statimque vadit, populum communicat, & successivè Missam celebrat. Dein reversus ad sedem confessionalem Lucio murmuranti ob moram, Penitentiam illi injungit, & sacramentalem absolutionem impendit. Queritur, an valide?

Resolutio superioris Quæstioni fuit mater decisionis huius casus: quilibet enim ex DD. infra citandis respondit, valide fuisse Lucium absolutum à Parocho ea ratione, quia Sacramentum Penitentiae administratur ad instar Iudiciorum, in quibus inter accusationem delicti, & sententiam fluit non breve tempus. Ideo potuit Parochus absolvere Lucium, cuius confessionem audierat ante communionem populi, & celebrationem Missæ; supposito tamen, quod integre fuerit confessus, & sufficienter dispositus per dolorem, & propositum emendandi; ut in puncto scribunt Layman d. lib. 5. tract. 2. cap. 7. num. 8. Vers. Quamobrem. Busembaum lib. 6. de Sacram. in gen. cap. 1. tract. 1. dub. 2. resol. 2. Posslevinus de Penitent. cap. 7. qu. 46. Volpi d. resol. 147. & resol. 168. Gobat d. tract. 1. n. 33. & 34. & Tamburin. de Triplici Jure lib. 1. de Sacram. in gen. cap. 1. §. 1. n. 5. & 6. At non idem dicendum venit id sequenti Casu.

Moribundus dum extrema unctione roboratur à Parocho, oculis, naribus, & ore inunctis rogat Parochum, ut duo peccata mortalia, de quibus tunc recordatur auscultet, & absolvat. Morem gerit Pastor, subinde prosequitur reliquas membrorum unctiones. Queritur, an ritè, & non rectè agat?

Ad huius casus resolutionem repeti Theologus Morales concordet, ac discordet simul. Concordant in eo, quod si brevis morula intercesserit in audiendis, ac absolvendis illis duobus peccatis, Parochus egit ritè, ac rectè prosequendo reliquas unctiones membrorum, quia illud tantillum temporis, & tam brevis interruptio non videtur officere morali continuationi illius sacræ functionis. At discordes sunt: esto quod ille infirmus accusando se de duobus illis peccatis protraxisset tempus in unam, vel plures horas, ut sæpe sæpius occurrere solet, & testes sunt, quos audire confessiones penitentium non piget; si quidem vel ex multiplicitate circumstantiarum, vel ex difficili materia contractuum, negotiorum; vel ex scrupulositate confitentis, aut ex difficultate in se explicando; duo peccata, quæ duobus verbis possent manifestari, apta sunt, duas, & tres horas absorbere, antequam Confessarius intelligat, an sit obligatio restituendi, vel pecuniam, vel famam, vel aliquid gravè injungendum ante absolutionem. Igitur supposita hac prolixitate, & diuturnitate temporis & unius, aut plurium horarum post collatas præcedentes unctiones, sunt discordes in reliquis unctionibus conferendis Doctores tripliciter; siquidem.

Prima eorum opinio est, ut Parochus debeat iterum repetere præcedentes unctiones cum suis formis, & prosequendo conferre post illas, etiam alias nondum datas, juxta doctrinam Tamburini, de triplici Jure lib. 1. cap. 1. §. 1. n. 7. & 8. quem citat & prosequitur Gobat. tract. 8. n. 378. ea ratione quia hoc Sacramentum ex communiore sententia perficitur solum in ultima unctione, ac proinde nimium distaret a se invicem partes ejusdem Sacramenti. Hæc sunt Verba Gobati.

Secunda est opinio, quod iste Parochus, etiam post longam interpositam moram, non debeat repetere primas unctiones, sed tantummodò addere illas, quas prius non fecerat; & hoc auctoritate Bonacinae scribentis, si Parochus morte, aut morbo, aliove impedimento corripiatur, dum ungit, ita ut nequeat Sacramentum inchoatum perficere, reliquas partes inun-

gendas esse ab alio Sacerdote presente, aut aliunde vocato; partes verò unctas non esse iterum ungendas. Hæc sunt verba Bonacinae tom. 1. de Sacram. Extr. Unct. disp. 7. quæst. unic. punct. 4. n. 9. ubi citat Acta Mediolanensis Ecclesiae tom. 1. par. 4. De Sacram. Extrem. Unctionis pag. 542. Vers. Si eger. Posslevin. de offic. cur. cap. 9. n. 9. S. Thom. in 4. disp. 23. q. 1. art. 1. quæstion. 2. ad 3. & ibi Sotus. Et idem docuit Angelicus Doctor in supplem. q. 29. art. 2. ad 3. Sylvest. Verb. Unctio extrema n. 4. in fin. Reginaldus lib. 28. cap. 18. n. 62. & Barbosa de Parocho cap. 32. n. 8.

Tertia verò est opinio, Parochum istum, post longam moram, non debere prosequi reliquas membrorum unctiones; siquidem in prioribus antea factis fuit completum Sacramentum Extremæ Unctionis, quod subsistit in unctione unius sensus tantum; ut tenent plures DD. apud Suarez, tom. 4. in 3. part. disp. 40. sect. 2. & Bellarm. lib. de Extr. Unct. cap. 10. quos citat Tamburinus de triplici Jure lib. 6. cap. 1. §. 2. n. 1. & pluribus probat Gobat d. tract. 8. n. 794. ac Diana allegans plurimos part. 8. tract. 1. ref. 21. Quæ reperitur in Coordinato tom. 1. tr. 1. ref. 60.

Igitur ex his tribus opinionibus, quæ verior, quæ eligenda? Non videtur ita facilis resolutio. Ideo sciendum, maximam esse altercationem inter Thomistas, & inter Scotistas, circa essentiam Sacramenti Extremæ Unctionis, in quot unctionibus consistat? Nam sequaces doctrinæ S. Thomæ volunt, unctiones omnium quinque sensuum, visus, auditus, gustus, odoratus, & tactus esse de essentia Sacramenti, ut probare conatur Gonet. d. tom. 5. tract. 6. disp. 1. n. 30. Volpi resol. 77. n. 5. & 6. & aliis Moralists omittis, Candidus in Specul. Moral. disquisit. 5. art. 7. à n. 5. & seqq. qui omnes autumant, gratiam per hoc Sacramentum non conferri, nisi in ultima, & quinta unctione. E contra Scoti doctrinæ adherentes in 4. Sent. dist. 23. quæst. Unct. sub. D. firmiter tenent, non esse de necessitate Sacramenti supradictas omnes quinque sensuum unctiones; sed tantum de necessitate Præcepti; ac propterea legitimo subsistente impedimento, minores numero, ac etiam unam tantum sufficere ad gratiam obtinendam, & in una sola posse compleri Sacramentum; ut tenet Becan. de Sacram. cap. 25. q. 7. n. 6. quem citat, & sequitur Cottonius in suis Controv. illustr. lib. 2. contr. 15. à n. 18. & seqq. Plurimi apud Diana d. part. 8. tract. 1. ref. 21 & part. 10. ref. 31. & novissimè Emin. Cardin. de Laureis in 4. Sent. d. tom. 3. disp. 1. art. 4. n. 40. & art. 9. n. 129. ubi sic loquitur: Omnes unctiones, quæ applicandæ erunt alicui infirmo indeterminatè sive una, sive plures vel septem, vel duodecim, sufficiunt ad complendum Sacramentum; isque in re positus causatur ejus effectus. Ac proinde undecunque oriatur diminutio numeri, seu complementi unctionum; sive ex deficientia infirmi, sive ex libito Ministri nolentis omnes perficere, sive ex alio impedimento, unctiones, quæ præcedunt, sunt Sacramentum. Ita quod, ut uno verbo dicam, non duas, tres, quinque, aut duodecim numero unctiones sunt à Deo instituta in Sacramentum; sed illa, vel ille, quo in una infirmitate eidem homini sent. Quocunque ergo adveniente casu, & impedimento, ut omnes fiant, intelligitur impletum Sacramentum per præcedentes.

Attenta igitur doctrina præclarissimi huius luminaris Catholice Ecclesiæ; prævalere debet tertia ex relatis opinionibus, & resolvendum, non debuisse Parochum post longam (ut ex supposito) moram, ad alias unctiones manum admoveere; quippè ob legitimum impedimentum audiendi confessionem peccatorum illius infirmi, completum censetur Sacramentum Extremæ Unctionis in præcedentibus unctionibus.

Neque

Neque obstant auctoritates, aut rationes primæ, & secundæ opinionis.

Non primæ, quia ut dictum est, verius est, hoc Sacramentum Extremæ Unctionis non habere determinatum numerum Unctionum pro sui validitate; sed omnes Unctiones sunt de integritate; & si deficient aliquæ ob aliquod impedimentum, essentia Sacramenti subsistit in illis Unctionibus, sive pluribus, sive una, quæ cum suis formis datæ sunt; non enim admittunt Scotistæ, quod fructus, & effectus hujus Sacramenti esset in pendentem usque ad ultimam ex quinque Unctionibus, ut doctissime disputat, & concludit Emin. Cardin. de Laurea d. tom. 3. disput. 11. art. 9. per tot.

Non secundæ opinionis Auctoritates movent, quia intelligendæ sunt de supplemento Unctionum dando ab alio Sacerdote, si primus moriatur, aut morbo corripiatur in actu ministrandi hoc Sacramentum, quando ibi alius Sacerdos adest, vel parva interposita mora potest currere; secus autem si post longum tempus, & ideo benignus lector observet verba Actorum Mediolanensium à Divo Carolo Borromæo Præsule enarrata; quæ supponunt, reliquas Unctiones absque mora dari posse per alium Sacerdotem; sunt enim ista: *Ad. Mediol. par. 4. Instr. Extr. Unct. pag. 542. col. 2.*

Rursus, si aliquando acciderit, ipsum Parochum, dum ungit, præ virium imbecillitate aliove casu deficere; alius Sacerdos, si præsens aderit, aut aliunde statim evocatus, reliquas partes, quas ille non unxit, ungere ritè perget: quas autem denuò non unget. Igitur vice versâ: si alius Sacerdos præsens non aderit, aut aliunde non statim evocatus, minime debet ungere reliquas partes; ly enim statim significat modicum temporis intervallum. Fagman, in cap. Qualiter num. 45. de Cleric. non resid. Barbo-

sa de Dictionib. d. verb. dist. 384. num. 1. Et non sine magna advertentia loquuntur Acta Mediolanensia per dictionem illam Si, dicendo alius Sacerdos si præsens aderit, siquidem dictio Si est conditionalis. l. Qui promissit ff. de Cond. indeb. Rota part. 7. rec. decis. 77. n. 3. qua deficiente non est procedendum ad disposita: & ideo sensus est Actorum Mediolanensium,

non esse amplius dandas reliquas Unctiones, si statim dari non potuerint; ea ratione, quia, ubi morula intervenit, est una & eadem moralis administratio Sacramenti; sed ubi intrat unius horæ, vel plurium distantia, non potest amplius dici una, & eadem administratio & cum prioribus Unctionibus cum suis formis ritè & rectè datæ non possint stare in pendentem, & sine effectu, operantur virtutem Sacramenti tanquam essentialiter in ipsis compleri; & sic non est ulterius inungendus infirmus. Quare si parochus de quo in casu, brevi morula, audivit ea duo peccata, & absoluit, bene fecit dando reliquas unctiones; at si moratus fuerit per horam circiter, vel ultra, male egit, prosequendo unctiones, quia in primis Sacramentum obtinuerat suum complementum. Illud tamen non omittendum pro praxi, quod in tali casu, (nisi infirmus esset in extremis, & nullum vitæ spatium de eo promitti posset) deberet Parochus eidem infirmo actum contritionis suggerere; & administrationem Sacramenti Extremæ Unctionis jam ceptæ continuare, ac perficere per omnes Unctiones, à quibus citò se expediet; & deinde peccatorum oblatorum confessionem audire.

DECISIO VIII.

ARGUMENTUM.

Breviter, sed clarè docetur, variari posse formam Sacramentorum octo modis; & quæ

Doct. Clericali Tom. I. Liber I.

variatio obstat valori Sacramenti? Verba formæ corde, seu mente tantum prolata, non faciunt Sacramentum.

SUMMARIUM.

1. Formæ variatio quando destruat Sacramentum?
2. Formæ variatio octo modis fieri potest. Et quibus?
3. Formæ Verba solo corde prolata an faciant Sacramentum?

Successivè fas est declarare, quæ Variatio formæ noceat valori Sacramentorum. Circa quod Quæsitum plurimos Doctores reperio respondisse, illam formæ variationem nocere Sacramentorum valori, quæ mutat sensum, quem Christus voluit exprimi per verba formæ, 8. Thom. 3. part. q. 60. art. 8. in corp. Gobat tract. 2. n. 75. Bonac. tom. 1. de Sacram. in gen. disp. 1. q. 2. punct. 1. n. 17. Coton. lib. 2. controv. prima cap. 1. n. 25. & Eminen. Card. de Laurea in 4. sent. tom. 1. disp. 2. n. 58. & 60.

Alii verò diffusius explicant, Variationem formæ posse contingere octo modis; videlicet 1. Additione, 2. Detractione. 3. Depravatione. 4. Transpositione 5. Interruptione. 6. Substitutione æquipollentium. 7. Corruptione balbutiendo. 8. Repetitione verborum.

1. Additione; ut Ego te baptizo in Nomine patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & Beata Mariæ Virginis, ac omnium Sanctorum, & hanc non officere valori Sacramenti, si minister additionem ponat ex devotione tantum; officere verò, si credat eam necessariam, docent 8. Thom. d. p. 3. q. 60. art. 8. Marchant. in resol. Pastor. de Sacrament. tr. 1. cap. 2. vers. alia 2. Et Gobatus alios referens d. tract. 2. n. 94.

2. Detractione; Ut ego te baptizo in Nomine Patris, Filii, Spiritus Sancti. Nam detractio conjunctivæ ET, non immutat sensum substantialem formæ, & sic non nocet valori Baptismi, ut fortiter tenet Comitulus lib. 1. resp. Adoral. quæst. 9. Toletus de Sacram. Baptism. lib. 2. cap. 19. n. 2. quamvis aliqui contrarium sentiant apud Dianam part. 2. tract. 15. resol. 47. residente in Coord. tom. 1. tract. 1. resol. 57.

3. Depravatione. Ut Ego te baptizo in nomine patris, & Filia, & Spiritu Sancti. Et hanc formam esse validam, quia non destruit sensum, decidit Sum. Pontifex, in cap. Rorulerunt. De Baptism.

4. Transpositione. Ut si dicas Ego te baptizo in nomine Spiritus Sancti, & Filii & Patris; Et hanc valere volunt, quia non mutatur sensus, Toletus lib. 2. cap. 19. n. 4. Tambur. lib. 1. de Sacram. cap. 1. §. 1. Et Gobat, tract. 1. n. 49. ubi notat, non etiam valere sequentem, Meum est hoc corpus, quia facit hunc sensum: Hoc corpus pertinet ad me, Summa Diana Verb. Eucharistia num. 17.

5. Interruptione. Ut Ego te baptizo in Nomine Patris, & corrigendo garrientes pueros, subdat, Tacete mali pueri, & prosequatur, & Filii, & Spiritus Sancti. Valide hunc baptizare docet Gobat, d. tract. 1. n. 38. Summa Diana Verb. Sacramentum. n. 5. Toletus de lib. 2. cap. 19. n. 5. quia brevia sunt verba, breve interruptionis spatium, & sensus non perdit formæ intellectum. Secus esset, si per plura verba, aut longius spatium temporis formam Sacramentalem interrupisset; ut dicemus infra in Decis. seq.

6. Substitutione æquipollentium. Ut ego te ablavo in nomine &c. Ego te Christianizo in nomine &c. Et esse formam validam testantur Doctores, quos citat, & sequitur Gobat, tract. 2. n. 73. & 93. Card. de Lugo in respons. Moral. lib. 1. dub. 2. (Et respondit in suo examine pro Cathedrali Ecclesia Ceneten. coram

Summo Pontifice Clemente Nono Anno 1667. Illustrissimus, ac Reverendissimus Dominus Petrus Leonius, ejusdem Ecclesiae Antistes, & Princeps, Nobilitate, Prudentia, ac omnium Virtutum fulgoribus ornatissimus; cui tunc tanquam Domino meo Colendissimo in studio obsequabar.) Ea ratione, quia verba *abluo & Christianizo* aequipollent verbo *baptizo*. At non esse formam validam verbis *Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, substituere ista *Genitoris, Geniti, ac Spirati*, quia non licet recedere à verbis assumptis per Redemptorem in formae baptismalis constitutione, liquidem in tantum verba sunt Sacramentalia, in quantum sunt assumpta à Deo in Sacramentum, opinantur gravissimi Doctores, inter quos S. Thom. d. 3. p. q. 66. art. 5. ad 2. Scotus in 4. dist. 3. quest. 2. H. ibid. S. Bonaven. art. 2. q. 3. Et pluribus rationibus probat Emin. Cardin. de Lauræa d. tom. 1. disput. 2. num. 60. & seqq.

7. Corruptione balbutiendo. Ut *Hoc est corpus meum Hic est calix*, &c. Ego te baptizo in nomine *Patris, &c.* & ex auctoritate Scoti, ac Marcantii has esse formas validas docet Gobat d. tract. 2. n. 95. & 96. Summa Diana Verb. Eucharistiae forma, n. 14. Tambur. de Triplic. jur. lib. 4. cap. 2. n. 22. & Coton. lib. 2. Controv. 4. num. 37. & 40.

4. Repetitione verborum. Pluribus ad hinc annis cognovi Sacerdotem, qui dicebatur scrupulis inquietari, & dum consecrabat, ita dicebat. *Hac, hoc, hoc, est, est, est, corpus, corpus, corpus, meum, meum, meum*. Idem faciebat in consecratione calicis, repetendo quamcumque voculam formae ter, quater, & quinque; Etenim sibi videbatur eam voculam non protulisse, seu non bene, non integrè enunciasse; & quia audiebatur ab audientibus Missam, & scandalum faciebat, tediumque satis grave; solebat alter Sacerdos ei assistere cum hoc pacto, ut statim prolato uno Verbo Consecrationis, quod intuebatur in Missali, illud digito cooperiret, & cum videret coopertum, sciret, illud pronunciasse; ideoque progrediretur in prolatione formae; & recipiebat ex hac assilientia non leve juvamen. Modò dubitatum fuit eo tempore; an pluries repetendo singulas voces formae consecrationis hostiae, & calicis, validè consecraret? Plurimi dubitabant. Sed sapientiores nullum de validitate consecrationis dubium habebant, quia illa repetitio singularum vocularum non auferebat sensum formae; & ita sentire reperio Gobat tract. 3. in Alphabet. Sacrificantium, num. 94. & 95.

Sit igitur resolutio quaesiti, illam variationem formae officere validitati Sacramenti, quæ sensum mutat. Quòd si quis petat, an sufficiat recitare formam cum corde, seu Mentaliter? Negativa responsio est concorditer data; quia Sacramenta novæ legis debent habere claram significationem gratiæ sanctificantis; & hanc consequuntur per verba, quæ sunt instituta ad significandum ignota. Ideò in Concil. Florentin. in decreto Eugenii decisum est, quod *Omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & persona ministri*. Et additum est: *Horum si aliquod desit, non efficitur Sacramentum*. Et ideo non sufficere si verba mentaliter proferantur, sed esse clara voce promenda docent Layman lib. 5. tract. 1. cap. 4. n. 2. assert. 3. Grassius part. 2. lib. 1. cap. 3. num. 20. Gobat tract. 1. num. 4. & Emin. Card. de Lauræa, id Theologicis rationibus comprobans d. tom. 4. disp. 2. art. 2. num. 6. & seqq.

DECISIO. IX.

ARGUMENTUM.

Refertur nullitas baptismi puero moribundo dati ob defectum Verborum formæ. Quem puerum Ecclesiasticæ sepulturæ non esse tradendum ostenditur.

SUMMARIUM.

1. Baptismi Verba quæ sint de essentia ejus formæ?
2. Sepultura Ecclesiastica non datur non baptizatis.
3. Factus in Ventre Matris mortuus cum ea, an sepeliatur in loco Sacro?
4. Ecclesia an polluat per sepulturam filii non baptizati.

Occasione autem Variationis Verborum formæ in Sacramentis enucleandus venit sequens Casus.

Enitur puerpera puerum, quem morti proximum videns obstetrix, anxia de ejus aeterna salute, aquam flagitat, ut eum baptizet. Intendens igitur eum baptizare, aquam benedictam effundit super caput pueri, hac tantummodo verba dicens: In nomine patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Paulo post moritur puer. Quæritur, An validè baptizatus?

Respondendum est negativè; juxta decisionem Summi Pontificis Alexandri Tercii in cap. 1. de Baptism. ubi omnes Canonistæ. Ratio autem invaliditatis hujus Baptismi est, quia pari jure sunt de essentia formæ verba illa in nomine *Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*; ac ista Verba *Baptizo te*; & ideo cum fuerint omnia, irritus fuit Baptismus. Sane autem de forma hæc verba *Baptizo te*; liquidem forma debet talibus concipi verbis, quibus significetur tum actus agentis, tum persona baptizantis, & suscipientis, Layman lib. 5. tract. 2. cap. 4. num. 2. Grassius part. 2. lib. 1. cap. 3. num. 21. Marchantius resolut. Pastor. cap. 2. casu 4. Toletus lib. 2. cap. 19. n. 5. Comitoli. in resp. Moral. lib. 1. quest. 46. num. 1. Bonacina de Sacrament. in gen. tom. 1. disp. 1. q. 2. punct. 4. & Eminen. Card. de Lauræa, tom. 1. de Baptis. disp. 12. art. 4. n. 41.

Quòd si quis petat, an prædictus puer sepeliendus sit in loco sacro? Pariter respondendum est negativè, ea ratione, quia Ecclesiastica sepultura non conceditur non baptizatis. Rituale Roman. de Exequiis Verb. 2. Quibus non licet dare Eccl. sepult. prope finem Glossa in cap. Ecclesiam. De consecrat. dist. 1. Verb. celebrare. Samuelhus. de Sepultura. tract. 2. contr. 4. num. 7. Sperellus dec. 88. num. 19. Toletus lib. 5. cap. 8. n. 11. Mendo verb. sepultura num. 2. Summa Diana eod. verb. num. 1. & Bassæus tom. 1. verb. sepultura n. 5.

Neque obstat, quòd si mater moriatur antequam pariat foetum, & iste pariter decedat in ventre matris absque Baptismo, nihilominus una cum matre obinet Ecclesiasticam sepulturam. Bordon. Variar. resolut. part. 2. resol. 89. num. 23. & Pallerin. de pollut. Ecclesia. disput. 8. cap. 21. Quia eo casu ita conceditur, non de per se ipsi foetui non baptizato, sed in consequentiam, & tanquam membro ipsius matris, in cujus visceribus adhuc retinetur. Quòd si de facto puer nostri casus absque Baptismo mortuus sepeliretur in Ecclesia, multi volunt, eandem remanere pollutam; atamen contrarium tenent gravissimi Doctores, eo quia prohibitio cadit in pueris non baptizatis ortis ex Patre, & Matre infidelibus. Sayrus de censur. lib. 5. cap. 16. num. 26. Ugo lin. de offic. & pot. Episc. par. 2. cap. 29. §. 5. Barbosa alligat. 28. num. 53. Pax Jordan. tom. 1. lib. 5. tit. 12.

tit. 12. num. 117. & Passerinus d. disp. 8. cap. 21. n. 4.

- Ex his tandem admoniti esse debent omnes Parochi, & omnes animarum Rectores, ut nunquam cessent docere tum Obstetrices, tum Parochianos suos formam Baptismi juxta Synodale Præceptum part. 2. cap. 12. de Baptismi administratione in fine; ne eadem contingat errare baptizando, cum irreparabili dispendio æternæ salutis puerorum, ad quos Parochus convolare non potest, ut eos baptizet.

DECISIO X.

ARGUMENTUM.

An interrompere formam Sacramentorum, inferendo per medium ejus alia Verba, vel anteponendo aliquod ex verbis ejusdem formæ noceat validitati Sacramenti declarat hæc Decisio. Item an ly *Ez* in forma Baptismi sit de ejus essentia.

SUMMARIUM.

1. Interruptio Verborum formæ quando noceat Sacramento?
2. Antepositio Verborum an obstat validitati formæ?
3. Baptismus an sit validus, interrupta forma per alia Verba?
4. Stipulatio interrupta an valeat?
5. Testamentum interruptum an iustificetur?
6. Exemplum interruptionis formæ in baptismo.
7. Antepositio alicujus Verbi in forma baptismi an irritet illud?
8. Et in baptismi forma an sit de essentia?

Sed hic circa defectus formæ alia duo Quæsitæ sunt resolvenda. Unum est, an interruptio formæ, ut alteri respondeatur, destruat Sacramentum? Ad hoc Quæsitum respondendum est cum distinctione: vel illa interruptio, & responsio est ita modica, ut secundum regulas dialecticas, verba formæ sacramentalis faciant unam propositionem; & talis interruptio, ac responsio non destruit Sacramentum.

Quod è contra si interruptatur forma, vel alteri respondeatur tanta prolixitate, & tanto defluxu temporis, ut verba formæ inceptæ cum aliis, quæ deinde connectuntur, minime valeant constituere unicam propositionem, erit invalidum Sacramentum. Nugnus tom. 1. in 3. p. D. Thom. quæst. 60. art. 8. & Marcantius in qq. Regul. tract. 1. cap. 2. quæst. 2. cas. 3. quos citat, & sequitur Diana Coordin. tom. 1. tract. 1. resol. 6. Quæ in Seniori inordinato legitur part. 5. tract. 5. res. 41. & his ad stipulantur, Cotonius lib. 2. contr. 1. cap. 1. n. 28. Bonac. tom. 1. De Sacram. in gen. disp. 1. q. 2. punct. 1. n. 23. & Laym. de Sacram. Baptismi lib. 5. tract. 2. cap. 4. nu. 6. vers. 4. Si Verborum modica interruptio.

- Aliud Quæsitum est: An antepositio aliquorum verborum formæ destruat Sacramentum? & ad hoc 2. est dicendum; destrui Sacramentum, si ex antepositione aliquorum verborum formæ, eorumque variatione secundum Ubi ipsius formæ sensus mutetur; secus autem si sensus illæsus remaneat, & minister non intendat inducere aliquem errorem circa terminos substantiales ejusdem formæ. Layman. d. lib. 5. tract. 2. cap. 4. n. 6. vers. 3. Cardin. Toletus lib. 2. cap. 19. n. 3. Bonac. d. tom. 1. disp. 1. de Sacram. in gen. quæst. 2. punct. 1. n. 21. & 22. & Emin. Cardin. de Lauræa tom. 1. in 4. lib. sent. disp. 2. art. 8. n. 98. Ex quibus venit decidendus sequens Casus.

Parochus baptizans puerum, sacram ablutionem incaperat, & dixerat Ego te baptizo: quando obstetrici flagitanti, ut miseret aquam calidam cum frigida, quia hyems erat, respondens ait: O via butate quæ l'acqua calda: scilicet in scutellam baptismalem; & statim proseguendo Baptismi formam, & aquam ter effundendo de more super caput infantis, dixit: In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti: Amen. Queritur an Sacramentum valeat?

Valere Sacramentum omnes respondere, ea ratione, quia illa verba O via butate quæ l'acqua calda, modica sunt, & ita cito prolata, ut non videantur habere vim discontinuandi inceptam formæ orationem; & quia ex studiosis nostris plurimi sunt Juris utriusque laurea insigniti, & legali scientia pollent; ac etiam plurimi Theologici ferto redimitti; ideo hi allegant auctoritatem Divi Thomæ in 4. dist. 3. qu. 1. art. 2. quæstion. 4. ad 1. & Scoti in 4. dist. 3. q. 2. M. & N. Illi verò probaverunt responsum ratione legali desumpta ex l. Continuus. De verb. oblig. in qua habetur, quod in stipulatione si inter interrogationem, & promissionem longus actus extraneus interveniat, inutilis est stipulatio; ipsa verò valet, si actus sit brevis, ut puta si stipulator dixerit, promittis mihi centum? & promissor respondeat: arma, vinumque cano, spondeo. L. Qua extrinsecus 65. ff. eod. tit. Item adduxerunt text. in l. Cum antiquitas. §. & siquidem C. de testam. ubi habetur, valere testamentum, etsi testator vocatis testibus, & incepta testamenti factione, cogatur eam intermittere ob aliquod necessarium naturæ, si paulisper exeant testes à conspectu testatoris; secus autem si longiore spatio separentur ab ipso. Idcirco verba prolata à baptizante casus nostri, quamvis cavenda sint, ob reverentiam Sacramenti; tamen validitati Sacramenti non officere ob eorum brevitate docent Volpi resolut. moral. 67. num. 15. Card. Tolet. d. lib. 2. cap. 19. nu. 5. Gobat in experim. Theol. tract. 2. n. 97. Qui dat exemplum de baptizante dicente: Ego te baptizo in nomine Patris, (tacete mali pueri) vel (admove propius infantem.) & Filij, & Spiritus Sancti. Bonacin. d. tom. 1. de Sacram. in gen. disp. 1. quæst. 2. punct. 1. n. 22. Qui exemplificat de baptizante dicente: Ego te baptizo (fuge hinc, aut veni huc, aut ista aqua est nimis frigida) in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, Tamburin. de Tripl. sur. lib. 1. de Sacram. in gen. cap. 1. §. 1. num. 10. Layman. d. lib. 5. tract. 2. cap. 4. n. 6. vers. 4. Diana Coordinatus d. tom. 1. tract. 1. resol. 6. Quæ sedet in veteri par. 5. tract. 5. resol. 41. & Eminen. Card. de Lauræa in 4. sent. d. tom. 1. disp. 2. art. 6. num. 69.

Sed non levis est dubitatio, An valeat baptismus, si aliquod Verbum formæ anteponatur. E. G. Quidam baptizando dixit: Ego Patris te baptizo in nomine, Filij, & Spiritus Sancti. Queritur, an valide?

Digladiantur decifores; nam alii asserunt valere baptismum supradicta forma collatum, ea ratione, quia antepositio ly Patris post ly Ego, non mutat sensum, & intellectum formæ, & reputatur quid accidentale tantum, ut fatebitur quilibet recitans eadem verba; & faciens pausam statim post ly Nomine, & statim proseguatur nominare alias duas personas Sanctissimæ Trinitatis: siquidem apud Grammaticos, & Poetas licitum est antepondere dictiones, seu nomina ad placitum intra

intra limites unius periodi; ut dicit, & tenet in hac facti specie Emin. Card. de Lugo de *Sacramentis in gen. disp. 2. sect. 6. nu. 112.*

Porro alii negativè adhaerent opinioni, defendentes prædictam antepositionem ly *Patris* esse essentialem, & pervertere sensum, ac intellectum; & propterea destruere validitatem Sacramenti; neque concedendum, eam antepositionem esse canonizabilem per regulas Grammaticorum, vel Poetarum; siquidem numquam apud eosdem reperitur permissum adnectere genitivum *Patris* illi nominativo *Ego*, à quo neque pendet, neque regi potest; cum debeat inniti ablativo ly *Nomine*; & ideo hanc negativam opinionem amplectitur Eminentissimus Cardinalis de Lauræa d. tom. 1. *disput. 2. art. 8. num. 99.* quæ practicè à quocunque est tenenda; etsi speculativè non desint utrinque argumenta pro validitate; nunquam tamen pro permissione prioris.

8. Alius Casus hic est ponendus. An ly *ET* in Sacramento Baptismi sit de essentia formæ; ita ut dici possit sine illo, *Ego te baptizo in Nomine Patris, Filii, Spiritus Sancti*? D. Ber. Bissus tom. 1. *litt. Et pag. 398. num. 121. in Hierurgia Sacra* ait ly *ET* esse de essentia formæ Baptismi, quia dicere in *Nomine Patris Filii* significatur non Pater, & Filius; sed *Pater sui Filii*; sicut qui vocaret Patrem Antonii, non nominaret Patrem, & Antonium; sed solummodò illum, qui est Pater Antonii. Ergo ut nominetur persona Filii oportet dicere in *Nomine Patris, & Filii*. Porro DD. multi, quos citat, & sequitur Caramuel in *Theol. Fundam. lib. 3. num. 3063.* tenent ly *ET* non esse de essentia formæ baptismi, quia etiam eo omisso adest invocatio totius Sanctissimæ Trinitatis. Debent nihilominus Parochi in Proferenda forma loqui attentè, & distinctè, non lingua præcipiti, sed custodita, ac devota,

to de Sacramentis ad Armenos §. *Quinto Ecclesiasticorum*: Sic loquitur: *Hæc omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus, tanquam materiæ; verbis tanquam forma; & persona Ministri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia.* Concilium verò Tridentinum, *Sess. 7. de Sacram. Can. 11.* ita ait: *Si quis dixerit, in Ministris, dum Sacramenta conficiunt, & conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi, quod facit Ecclesia; anathema sit.* Et his auctoritatibus additur ratio, scilicet, quia operatio Sacramentorum est actus humanus, sive liber. At in omni actu humano, seu libero est intentio agentis, quia omne agens agit suo modo propter finem. Ergo necessaria est intentio Ministri agentis, & conficientis Sacramentum. Card. Tolet. *lib. 2. cap. 16. num. 1. & 2.* Card. de Lugo de *Sacramentis disp. 8. num. 13. 14. & 15.* Gobat de *Sacram. tract. 1. num. 59.* Cotton. *lib. 2. de Sacram. in gen. c. 2. n. 32. & novissimè Eminentissimus Cardin. de Lauræa in 4. sent. tom. 1. disp. 3. art. 1.*

Sed ulterius cognoscere oportet Quæ, & Qualis esse debeat Ministri intentio? Et pro huius quæsitæ intelligentia, juxta recentiorum Theologorum doctrinam est advertendum, duas esse partes huius quæsitæ: Unam, Quæ debeat esse intentio Ministri? Alteram Qualis?

Quo ad primam quæsitam partem. Ex supradictis constat, intentionem eam esse debere, quæ minister Sacramenti intendat facere, quod Ecclesia ipsa facere intendit. Verum quia adhuc obscurum remanet, quanam sit intentio Ecclesiæ, seu quodnam sit objectum intentionis ipsius Ecclesiæ in actu conficiendi Sacramenta; Doctores huius Cleri notarunt, Objectum intentionis Ecclesiæ, quod est idem objectum intentionis Ministri, non esse salutem suscipientis, vel ministrantis Sacramentum, neque religiosam quamdam cœremoniam, neque ipsam actionem externam, etsi factam, vel acceptatam, seu acceptandam nomine Christi; sed esse rationem formalem Sacramenti; videlicet facere id, quod Christus Dominus instituit: hæc enim est intentio Ecclesiæ; & hanc intentionem, quam habet Ecclesia, debet etiam habere minister, qui Sacramentum conficit; & ratio est, quia Minister in Sacramentis operatur ut minister Christi; non potest autem minister operari ut minister alterius, nisi habeat animum operandi nomine illius; ut fuse explicant Bonacina tom. 1. de *Sacram. in genere disput. 1. quæst. 2. punct. 2. §. 3. per tot.* Cardin. de Lugo. De *Sacram. d. disp. 8. sect. 2. 3. & 4.* Cotton. d. lib. 2. *contro. 1. num. 33. & 34.* Gobat. de *Sacramentis tr. 1. num. 72.* & subtilius Eminentiss. Cardin. de Lauræa de *Sacram. disput. 3. art. 2. per totum.* ubi sub num. 27. id ulterius probat inductione omnium generationum, sive naturalium, sive artificialium; in quibus, quod proximè intenditur, est forma in toto, seu totum; forma enim est finis generationis: sed confectio Sacramenti est generatio quædam, seu productio; ergo quod proximè intenditur est forma Sacramenti, seu essentia, & quidditas Sacramenti. Neque potest assignari disparitas, cur in effectione huius artificialis non intendatur bonitas, seu forma totius, in aliis verò sic. Volens ergo efficere Sacramentum, si explicitè intendit, ut Ecclesia; intendit cum illa actione externa signum à Deo institutum; quia hæc est forma, & bonitas Sacramenti, per quam distinguitur ab ipsa actione.

Quo

DECISIO XI.

ARGUMENTUM.

Agitur de necessaria Intentione Ministri in conficiendo Sacramento; & explicatur quæ, & qualis debeat esse dicta Intentio. Resolvuntur duo casus curiosi circa eandem Intentionem.

SUMMARIUM.

- 1 Intentio Ministri est necessaria ad validitatem Sacramenti.
- 2 Intentio prædicta quæ, & qualis esse debeat?
- 3 Intentio Triplex Actualis, Virtualis, Habitualis.
- 4 Mentalis in confessione fingens se puellam laicam an validè absolvatur?
- 5 Benedictio data Jacobo & Isacco an fuerit valida?
- 6 Sacerdos an consecret Vinum, quod aliàs decreverat nolle consecrare.

Est autem valdè necessarium in concernentibus doctrinam Sacramentorum in genere scire, ad valorem Sacramenti an requiratur Intentio Ministri. Et circa hoc quæsitum Regula generalis, est & omni exceptione major. Intentionem Ministri requiri, & esse necessariam ad validitatem Sacramenti; sic enim definitum est in Conciliis Florentino, & Tridentino. Primum enim in Decre-

Quo verò ad secundam partem quaesiti, scilicet, *Qualis debeat esse intentio Ministri?* Omnes adduxerunt triplicem, communemque divisionem intentionis, prout alia est *Actualis*, qua quis actu vult facere aliquid, elicitō voluntatis actu tendente in illud, quod facit. Alia est *Virtualis*, quæ remanet abeunte actuali, vel ea debilitata ob mentis evagationem; at ex præexistentia actualis habet vim, & energiam faciendi quidpiam, quod alioqui non fieret. Atque alia est *Habitualis* resultans non ex præcedenti actu voluntatis aliquid agendi, sed ex frequentatis actibus, ex quibus remanet habitus agendi. Ex his intentionibus omnes pariter dixerunt, ad volorem Sacramenti, non esse necessariam intentionem actualem; habitualementem verò non esse sufficientem; intentionem autem Virtualementem sufficere. Ratio horum omnium est circa actualem, quia Deus non obligat ad impossibile, sed impossibile est homini in actione aliqua manere semper attentum, juxta illud *Psal. 38. 13. Cor meum derelinquit me.* Circa habitualementem, quia ille habitus non influit velle actionem ipsam; ut constat in dormientibus, & ebriis operantibus aliquid ex habitu absque voluntate. Circa Virtualementem, quia illa intentio sufficit ad Sacramenti valorem, quæ sufficit ad actum humanum, nam Deus nihil magis requirit. Sed in actibus humanis illa intentio sufficit, quæ est homini possibilis, & à qua actus humanus habet dependentiam; & talis est intentio Virtualis. Tambur. de Sacrif. Missæ lib. 2. cap. 1. §. 2. Gobat. d. tract. 1. num. 21. Cotton. d. lib. 2. Controv. 1. num. 39. Diana part. 2. tract. 17. resol. 32. Quæ in Coordinato sedet in tom. 1. tract. 1. resol. 1. Volpi resol. Moral. resol. 160. num. 12. 13. & 14. Card. de Lugo d. disp. 8. sect. 5. Maltrius in Theol. Moral. disp. 16. num. 38. & in 4. sent. disp. 1. 6. 7. art. 1. & 2. & Emin. Cardin. de Lauræa d. tom. 1. disp. 3. art. 3. per totum.

Quibus tanquam fundamentis circa intentionem Ministri ita firmatis, duo sunt casus satis curiosi resolvendi. Primus talis est.

Monialis coram extraordinario Confessario sua peccata confitens; interrogata, an esset professa? ne ab ipso agnosceretur; ait, esse unam ex puellis, quæ in Monasterio educantur; sed ex devotione fecisse votum castitatis. Confessarius intendens, eam esse puellam secularem, ei tanquam tali penitentiam dat, & absolutionem. Queritur, An error sue intentionis officiat validitati absolutionis?

Officere nonnullis visum fuit. Primum quia absolutio involuntaria non valet. Sed in præsentī casu videtur esse involuntaria; nam voluntarium non est, quod fertur in objectum incognitum. Arist. 3. Ethic. cap. 3. & D. August. 8. de Trinit. cap. 4. Et hæc Monialis professa, quæ se allerit secularem, remanet incognita. Ergo absolutio fuit invalida. Secundò Sacramentum consistens in fieri non habet esse Sacramenti, nisi alicui conferatur; nam sine subiecto non potest fieri. Ergo cum errore personæ Sacramentum non fit. Probatur consequentia: Persona, cui confertur Sacramentum, ingreditur objectum intentionis ministri; nam minister nedum intendit facere Sacramentum; sed etiam intendit in ea persona, cui confert Sacramentum. Cum igitur erret in persona, deficit eius intentio; nam intentiones distinguuntur ab objectis intentis. Tertio Mendacium de re gravi in confessione reddit eam invalidam. Card. de

Lugo de Penit. disp. 16. num. 123. Sed in hoc casu Monialis mentitur in re gravi, quia circumstantia Professionis aggravat peccata. Ergo absolutio reputanda est invalida. Econtra.

Non officere, plurimi judicant. Primum quia Confessarius principaliter dirigit intentionem suam in personam sibi præsentem; non autem in qualitatem personæ. Ergo nullus est defectus intentionis Ministri; & sic valida erit absolutio. Secundò. Nam error personæ in solo Matrimonio irritat Sacramentum, quia tanquam in contractu deficit substantia, vult enim conjux dare potestatem sui corporis huic, & non alteri. Sed in aliis Sacramentis nulla est ratio magis unius personæ, quam alterius, quia non attenditur persona, sed merita personæ, id est ejus peccata, de quibus se accusat. Ergo, (exceptis peccatis contra obedientiam, vel paupertatem, quibus non supponitur gravata hæc Monialis) absolutio validè collata censetur. Tertio quia Isaac cum benedixit Jacob, direxit suam benedictionem, & intentionem ad Esau. Gen. 26. & tamen valida fuit benedictio ipsi Jacob data. Benedixi ei (ait) eritque benedictus. Ergo etiam absolutio directa puellæ seculari, sed data Moniali, valida erit.

Alii distinguunt, vel Confessarius ita restringit suam intentionem puellæ seculari, ut excludat Monialem professam? Et in hoc casu invalida est absolutio, ob defectum intentionis Ministri absolutionis. Vel intendit absolvere personam penitentem, quæ coram se est? Et valida est absolutio; & ratio est, quia præter particularem intentionem directam puellæ seculari, adest etiam alia intentio, quam dirigit in ipsam personam, quamvis non sit secularis. Et cum hac distinctione transeunt in consimili casu Reginaldus in praxi fori penitent. lib. 26. num. 42. Suarez tom. 3. disp. 13. sect. 3. in fine. Sotus in 4. dist. 1. q. 5. art. 8. Sylvester in Verb. Baptismus 3. §. ult. Marcantius in Horto Pastor. Verb. Resolutiones Pastorales de Sacram. in gen. c. 5. de intentione Ministri q. 3. pag. 879. Gobat de Sacram. d. tract. 1. à nu. 215. usque ad num. 222. & 223. ubi tamen dubitat ob mendacium; sed præcindendo à peccatis contra obedientiam, & paupertatem, non videtur mendacium grave, & per consequens non officere validitati absolutionis; cum non sit contra substantiam confessionis. Idem Gobat tract. 6. num. § 38. Tamburin. in Method. expel. confess. lib. 2. cap. 10. §. 2. num. 42. & Reginald. lib. 6. num. 70. Et cum supradicta distinctione, validam esse Monialis confessionem deducitur ex his, quæ doctè ac profundè disputat novissimè Eminentiss. Card. de Lauræa d. tom. 1. disp. 3. art. ultim. ubi tamen num. 102. ex Scoto advertit, valuisse benedictionem Jacob, quia eam Pater confirmavit; ait enim textus Gen. 27. quod Isaac expavit stupore vehementi, qui stupor fuit extasis, in qua cognovit, Deo revelante, quod Jacob iustè erat benedicendus; & Dei voluntate id accidisse, ut Jacob benediceret; propterea confirmavit benedictionem dicens. Benedixi ei, eritque benedictus. Potrò Cornelius à Lapide in Genes. 27. 34. ait, Isaac cum habuisset duas intentiones, primariam, qua intendebat benedicere illum, quem sibi Deus constituerat Primogenitum; & secundariam, qua volebat benedictionem dirigere in Esau. In hac secunda intentione erravit, non autem in primaria; ideo valida fuit benedictio data Jacob, quia Jacob fuerat à Deo constitutus ejus Primogenitus.

Secundus

6 Secundus casus non minus curiosus est tenoris sequentis.

Sacerdos averfatus vinum acerbum, quod à Sacrista datur pro Missa, ed quia est dolorificum suo stomacho, statuit in corde suo, nolle amplius celebrare cum dicto Vino, & sibi providet Vinum Creticum, vulgò Malvalia, cum quo intendit Sacrum facere. Sacrista clam ex urceolo aufert dictum Vinum Creticum preparatum, & in eodem ponit solitum Vinum acerbum, quod Sacerdos, hujus mutationis ignarus, consecrat in Missa. Quaritur, an valide? Videtur prima facie pro hujus casus resolutione in hanc conveniendum sententiam, quod si Sacerdos ita exclusus à sua intentione materiam Vini acerbi in Missa consecrandam, & ita determinavit consecrare vinum Creticum, ut omnino, noluerit amplius habere pro materia ipsum vinum acerbum jam à se exclusum, etiamsi illud sibi proponeretur consecrandum; invalida esse consecratio; quia deficit intentio, & actio illa dicitur involuntaria; siquidem vinum acerbum non intentum ita se habet, ac si non esset materia apta, quantum est ex parte Ministri, qui illud non vult consecrare. At è contra si cum intentione particulari consecrandi vinum Creticum à se preparatum, retinet universalem intentionem consecrandi omne aliud vinum appositum in calice, aptum consecrari, & actualiter consecrando vinum acerbum, quamvis ignotum sibi, habuit intentionem consecrandi id, quod erat in calice; ut omnino est supponendum, quia quilibet Sacerdos etiam mediocris pietatis, cum consecrat, intendit valide consecrare; & tunc valide consecravit; nam talis actio est voluntaria, & habet intentionem requisitam ad validitatem Sacramenti. Suarez de Euchar. disp. 13. sect. 3. in fine. Card. de Lugo de Sacramentis in genere disp. 8. sect. 7. per totam. Et in puncto Eminent. Cardin. de Lauræa d. tom. 1. disp. 3. art. ult. num. 94.

DECISIO XII.

ARGUMENTUM.

Ostenditur quis sit Minister ordinarius Sacramentorum? Differitur, An Angeli boni possint ministrare Sacramenta? nec non Animæ Beatæ, ac ipsa Beatissima Virgo Mater Dei? Exempla plurima de iisdem.

SUMMARIUM.

- 1 Quis sit Minister Sacramentorum?
- 2 Angeli an possint ministrare Sacramenta?
- 3 Sacramentorum à cœlestibus Spiritibus ministratorum exempla.
- 4 Deipara an ministraverit Extremam Unctionem B. Reginaldo?
- 5 Femina quæ, & quot Sacramenta possint ministrare?
- 6 Mulier an possit ministrare Eucharistiam?

MOdò videamus, quis sit minister ordinarius Sacramentorum? Itaque DD. omnes docent; Ordinarium Ministrum Sacramentorum esse hominem viatorem rationis usum habentem; ita tamen, ut femina, & laicus in Baptismo, & in Matrimonio tantum possit esse Minister; in cæteris autem Sacramentis non omnes homines viatores, sed qui sacris ordinibus sunt insigniti

habendi sunt ministri, ut suis locis declarabitur; excepto casu necessitatis, vel pro impedienda magna irreverentia Eucharistiæ, quam etiam laicum, & sceminam posse sibi, & alteri ministrare, docent Theologi, ut infra ad tertium Quæsitum, Rationes responsi hujus plures fuerunt allatæ: videlicet, quia institutor Sacramentorum fuit Christus homo; ergo congruum fuit, ministros homines esse. Sacramenta constant ex sensibilibus: ergo congruum fuit, à ministro utente sensibus ea ministrari. Hinc illud Apostoli ad Hebr. 5. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur.* Et ita communiter Theologi, & Summistæ Cardin. de Lugo de Sacram. in genere disp. 8. n. 1. Bonacina tom. 1. disp. 1. quæst. 3. punct. 1. n. 9. Gobat de Sacram. tract. 1. num. 50. Mastrius in Theolog. Moral. disp. 16. num. 35. Et Emin. Cardin. de Lauræa de Sacramentis disp. 8. n. 4.

Sequitur secundum Quæsitum, an Angeli possint administrare Sacramenta? Circa quod affirmative est respondendum, & non solum de Angelis bonis, sed etiam de malis, & de beatis in cœlo existentibus; & hoc ex Divina dispensatione; siquidem, ita liberum est DEO committere Angelis bonis, & malis, nec non Animabus Beatis ministerium Sacramentorum, sicut homini viatori; non enim Deus necessitatur ab homine, vel alio motivo, ut homini viatori tantum committat; & cum Angelis bonis, vel malis, ac Animæ beatorum possint corpora assumere, cum illis valent proferre verba sensibilia, & orationes sensibiles exercere; ut docent Bonac. d. disp. 1. q. 3. punct. 1. num. 10. Gobat d. tract. 1. num. 50 & num. 158. Volpi resol. 8. n. 8. Card. de Lugo d. disp. 8. sect. 1. n. 4. ubi id negat ex ordinaria potestate; sed concedit ex speciali concessione Dei: & cæteris plenius, & doctius Eminentissimus Cardinalis de Lauræa d. tom. 1. De Sacramentis in genere disp. 10. art. 1. per totum. Et quia plurimi ex Clero Patavino studiosi sunt antiquitatum, & Sacrarum Historiarum, sequentia retulerunt exempla; ex quibus constat, Sacramenta ab Angelis, à Beatis, imò & à Christo Domino aliquando fuisse administrata. Siquidem S. Amphilocheus fuit ab Angelis consecratus Episcopus. Nicephor. lib. 11. histor. cap. 20. S. Philemonem Martyrem jam constitutum in arena carnisicine, omnibus spectantibus Christianis, baptizavit ipse Christus. Ex Metaphrasæ S. Onuphrii Anacoreta singulis Dominicis Christi corpore, & sanguine ab Angelis mirabiliter reficiebatur. Paphnutius Abb. in ejus vita cap. 11. Divo Joanni Chrysostomo morituro SS. Petrus, & Joannes Apostoli cibum cœlestem ministrant. Nicephor. lib. 13. Hist. Eccl. cap. 37. S. Raymundus Nonnatus, cum morbus ingravesceret, & Sacerdos diutius tardaret, Angelorum ministerio sub specie Religioforum sui ordinis apparentium, salutari viatico refectus fuit. Brev. Rom. l. 6. die 31. Aug. Idem de Sancto Ludano Scotorum Ducis filio refert Bolandus in ejus Vita 12. Februar. tom. 2. Et de Sancta Agnete Politiana, & de B. Angela Fulginate in Adis ear. Vit. Beatam Claram de Monte Falco Christus Dominus suis manibus communicavit. In Chron. Minor. par. 2. lib. 5. cap. 41. Et Beatam Coletam in ejus Vita cap. 52. Et B. Joannam Urbevetanam Ordinis S. Dominici, Bzovius Anno 1306. n. 18. His autem similia, eaque plurima refert exempla Joann. Bonifac. Bagatta in admirandis Orb. Christian.

stian. tom. 2. lib. 3. cap. 3. §. 4. per totum; & eod. lib. 3. cap. 5. §. Unico. ubi Reginaldo discipulo S. Dominici Deipara Extremam Unctionem administravit, & B. Liduvina Christus Salvator, quod notat etiam Surius 7. Aprilis. Sed Unctio illa, quam Deipara ministravit servo suo Reginaldo non fuit Sacramentalis, sed tantum curativa, ut constat tum ex materia supernaturali, tum ex Verbis non Sacramentalibus, quam, & quæ Sanctissima Virgo illum inungendo adhibuit, ut à me demonstrabitur in meis Decisionibus De Extrema Unctione Decis. 9. n. 21.

Supradictis addendum est hoc Tertium Quæsitum, An Femina possint Sacramenta administrare? Et circa ipsum est alterendum circa Baptismum, in casu necessitatis, & circa Matrimonium; negendum autem in reliquis Sacramentis, quod impudenter docuerat Lutherus lib. de abrogat. Miss. priv. ut notat Eminen. Cardin. de Lauræa d. disp. 10. art. 1. num. 10. Sed ulterius feminam posse ministrare officio fungi in sumenda Sacra Eucharistia absente Sacerdote, imminente periculo mortis, ut fecit Maria Regina Scotiæ; vel ad impediendam magnam Eucharistiæ irreverentiam advertit Layman. lib. 5. tract. 4. cap. 7. n. 4. Imò posse communionem sacram etiam alteri præbere concedit ex Layman, Coninch. & Diana, Cotonius in Summa Verb. Communionis Minister. n. 74. sed hæc omnia negant duo doctissimi Ecclesiæ cardines, videlicet Eminen. Cardin. de Lugo de Sacramen. Euchar. disp. 18. num. 24. & Emin. Card. de Lauræa de Euchar. disp. 24. num. 70. & quidem iure; nam id vetitum fuit in Can. Pervenit de consecr. dist. 2. nisi à Sede Apostolica id permittatur.

DECISIO XIII.

ARGUMENTUM.

Resolvuntur duo casus circa validitatem Sacramenti ob errorem Ministri, unius in sensu Verborum, alterius in recta prolatione eorumdem.

SUMMARIUM.

- 1 Exemplum Sacerdotis errantis in intelligentia Verborum consecrationis Eucharistiæ. Utrum valide consecret? & n. 2.
- 3 Baptismus an sit validus, si dicatur in Nomine Patriæ, Filiæ, & Spiritu Sanctæ?

Sed antequam à Ministro Sacramentorum discudamus, placet hic addere alios duos casus. Primus est:

Sacerdos Theologia ignarus, consecrando hostiam, & dicendo: Hoc est corpus meum; intendebat de corpore sui ipsius: & consecrando calicem, dicendo, Hic est enim Calix &c. ly Hic, intendebat esse adverbium, id est, in hoc loco. Quæritur, an valide consecraret?

In responsis ad hunc casum duæ repertæ sunt opiniones. Una plurium opinantium valide Sacerdotem hunc non consecrare, ut tenet Vasquez de Sacrament. disp. 2. num. 102. et si supponatur in hoc Sacerdote generalis intentio faciendi, quod facit Ecclesia; nam verba formæ sunt vera locutio, qua minister humano modo loquitur; loqui autem est manifestare sensu interna; ergo manifestant id, quod loquens habet in mente. Si ergo in mente

Doct. Clericali Tom. 1. Lib. 1.

habet, quòd in illa hostia, per eum consecrata, sit corpus ipsius consecrantis, non autem corpus Christi; & ly Hic circa calicem denotat solam præsentiam localem; sequitur, illum Sacerdotem nec loqui in vero sensu, quem habuit Christus, nec habere illam intentionem, quæ fuit ipsius Christi, & quæ est Ecclesiæ; & ideo invalide consecrare ex defectu intentionis. Confirmatur, quia licet error privatus Ministri, dummodò intendat facere, quod facit Ecclesia, non obsit formæ, neque validitati Sacramenti, tamen obest utrique, quando ejus error mutat formam. Emin. Card. de Lauræa de Sacram. disp. 2. num. 88. Porro in casu proposito error Sacerdotis mutat formam, quia intendit corpus sui ipsius, & calicem localiter adesse. Ergo valide non consecrat. Idem docet P. Vinc. Candidus in Compend. disquis. Moral. disquis. 41. art. 1. num. 4.

Altera fuit opinio multorum affirmantium, valide consecrare, ut docet Card. de Lugo de Sacramentis disp. 2. num. 122, ubi ei visum est, sufficere illam intentionem generalem dicendi illas voces, & significandi per illas id, quod Ecclesia intendit significare, nec per errorem privatum, privatam voluntatem minus efficacem retractari illam priorem, aut impediri valorem Sacramenti. Et dat exemplum de Sacerdote intentionem habente in principio Missæ consecrandi etiam particulas in pyxide positas, qui postea tempore consecrationis, illarum immemor, intentionem suam dirigit solum ad hostiam, quam habet in manibus; & tamen ex communi omnium opinione, particule in pyxide existentes remanent consecratæ vi prioris intentionis non revocate.

Huic opinioni videtur adherere Gobat de Sacramentis tract. 1. à num. 198. usque ad num. 204. ubi hactenus non subsistit, & insert, remanere dubiam talis Sacerdotis consecrationem; itaut si ultra suam hostiam alias particulas consecrasset, melius foret, eas ab alio Sacerdote sub conditione iterum consecrari; quia verè, & realiter non est vera forma, cum intendat aliud corpus, quam Christi in illa hostia reperiri; siquidem vera forma est, quæ efficit, quod significat; idest Christi corpus in hostia ex vi ipsius formæ reperiri. Videatur Martius in 4. sent. disp. 3. q. 8. art. 1. ubi subtiliter, sed doctè examinat intentionem Sacerdotis, quam in consecrando debet habere circa corpus Christi.

Alter verò casus circa Ministrum ministrantem Sacramentum est hujusmodi:

Parochus montanus, grossioris lingue, baptizando dicebat: In nomine Patriæ, & Filiæ, & Spiritu Sanctæ. Quæritur, an faciebat validum baptismum?

Omnes dixerunt, valida fuisse baptismata ex decisione Zachariæ Papæ in cap. Reiterunt. de consecratione dist. 4. ubi de hoc casu interrogatus respondit: Si hoc fecit ex imperitia lingue latine, non intendens inducere errorem, verè baptizavit. Quod ita intelligendum est, non quòd error privatus ministri, dummodò intendat facere, quod facit Ecclesia, obsit Sacramenti formæ; sed quia talis error mutat formam: si enim teneret Minister, genitum à Patre esse Feminam, & sic Spiritum Sanctum; forma ab ipso sic prolata, non esset forma Christi. Si verò teneret, esse quidem Feminini generis, tamen ipse sub præcis verbis Ecclesiæ formam proferret, verè faceret Sacramentum, ut subtiliter notat Eminentiiss. Cardin. de Lauræa d. disp. 2. num. 88.

C

num. 88. & concordant DD. videlicet Cardin. de Lugo de Sacram. disput. 2. num. 108. Tamburin. libr. 1. de Sacramentis in genere cap. 1. §. 2. num. 2. Cardin. Toletus lib. 2. cap. 19. num. 9. qu. 2. punct. 1. num. 20. Vasquez tom. 2. Bonacina tom. 1. de Sacrament. in genere disp. 1. in 3. part. disput. 129. c. 7. quem allegat Gobat d. tract. 1. n. 206. & 207.

DECISIO XIV.

ARGUMENTUM.

Inquiritur an suscipiens Sacramentum debeat esse alius à Ministro? Et quæ intentio in suscipiente requiratur? Sacerdotes extra Missam, Diaconi, Laici, ac mulieres an possint sibi ministrare Eucharistiam?

SUMMARIUM.

- 1 Intentio an sit necessaria in suscipiente Sacramenta?
- 2 Suscipiens Sacramenta an debeat esse alius à Ministro?
- 3 Sacerdotes extra Missam an possint sibi Eucharistiam ministrare?
- 4 Diaconi an dare possint Eucharistiam?
- 5 Laici, ac Mulieres, an absentibus Sacerdotibus, possint seipso communicare?

Postquam explicuerimus præcipua dubia circa Ministrum Sacramentorum, opus est transire ad illa quæ concernunt suscipientes. Ideo Quæritur, Quæ, & qualis intentio requiratur in suscipiente Sacramentum?

Respondentes distinguunt Infantes ab Adultis. Illi recipere possunt valde Sacramentum Baptismi, Confirmationis, Eucharistiæ, & Ordinis si mares sint, absque propria intentione, quæ suppletur ab Ecclesia: & ratio est, quia hæc quatuor Sacramenta requirunt tantummodò capacitatem subiecti; alia verò tria, nempe Pœnitentia, Extrema Unctio, & Matrimonium pendent etiam ab intentione, & voluntate suscipientium, quæ in infantibus esse non potest. Layman libr. 5. tract. 1. cap. 6. num. 4. Tamburin. de Triplici Jure libr. 1. cap. 3. §. 1. & Cardin. de Lugo de Sacramentis disput. 9. num. 112. Adulti verò, qui non utuntur ratione, & nunquam sunt usi, ut amentes à nativitate, absque ulla intentione pariter recipiunt supradicta quatuor Sacramenta, quia æquiparantur infantibus. cap. Majores. De Baptismo. Quod si amentes aliquando habuerunt usum rationis habuerint voluntatem talis Sacramenti, quam non retractaverint voluntate contraria, d. cap. Majores. Vel Adulti habent rationis usum; & in eis requiritur voluntas Sacramenti, & quod intendant ipsum Sacramentum recipere. Porro cum intentio sit triplex Actualis, Virtualis, & Habitualis, sufficit hæc habitualis, quæ est illa, cui præcessit actualis, & nunquam fuit revocata; imò satis esset interpretativa intentio, quæ est quid minus habituali, cum videlicet Catechumenus voluit servare Legem Christianam, & suscipere omnia remedia suæ salutis. Sed hæc non sunt intelligenda de Sacramento Matrimonii; hoc enim recipi non potest sola intentione habituali; ut bene explicant Tamburin. d. lib. 1. cap. 3. §. 1. num. 5. Card. To-

letus lib. 2. cap. 16. n. 2. Summa Diana in Verbo Sacramentum num. 7. Gobat tract. 1. à num. 226. usque 231. Volpi resol. 160. à num. 9. & seqq. Bonacina tom. 1. de Sacram. in genere disp. 1. q. 6. punct. 2. Cardin. de Lugo d. disput. 9. de Sacram. sect. 7. per totam. Et Eminentiss. Cardin. de Lauræa d. tom. 1. de Sacrament. disput. 11. art. 2. per totum. Qui omnes animadvertunt in omnibus Sacramentis (excepto Matrimonio) sufficere voluntatē suscipientis etiam coactam; nam voluntas coacta voluntas est, d. cap. Majores. De Baptismo: dummodò tamen interius sit verus consensus in Sacramentum; non verò si solus sit consensus in actionem externam absque voluntate Sacramenti.

His succedit aliud quæsitum, quoad examinant DD. circa suscipientem Sacramenta, videlicet, An suscipiens Sacramentum debeat esse alius à ministro? Circa quod venit dicendum, alium debere esse à ministro, exceptis Sacramentis Eucharistiæ, (de quo infra dicam num. 3.) & Matrimonii, in quo contrahentes sunt ministri, & susceptores; ut de singulis Sacramentis differant Doctores, redentes rationem, & præcipue S. Thom. 3. p. qu. 66. art. 5. ad 4. Scotus in 4. dist. 6. qu. 4. L. A. Sylvest. Verbo absolutio 6. num. 2. §. Quartum. Toletus lib. 2. cap. 20. num. 1. Bonacina, qui ubique concordantes allegat, De Baptismo disput. 2. q. 2. punct. 4. n. 20. De Confirmat. disput. 3. qu. Unica. punct. 3. num. 7. & 9. De Eucharistia disput. 4. qu. 5. punct. 1. num. 13. De Pœnit. disput. 5. q. 4. punct. 2. num. 2. De Extrema Unct. disput. 8. qu. Unica. punct. 3. num. 1. De Ordine disput. 8. qu. Unica. punct. 4. num. 1. De Matrimonio. q. 2. punct. 4. num. 5. Summa Diana Verbo Baptismus num. 11. Tamburin. de triplici Jure libr. 2. de Baptismo cap. 1. §. 5. num. 32. & Mastrius in 4. sent. disp. 7. num. 62.

Hinc resolvendi veniunt duo casus tanquam dependentes à supradicta doctrina. Primus casus est:

Episcopus in generali Sacri Chrismatismis administratione, cum confirmasset quandam mulierem, etiam infanti, quem in brachiis tenebat, ob suæ mentis distractionem, Sacrum Chrisma more solito impertivit. Quæritur, An valide? Ex studiis hujus nostræ Diocælis.

Affirmarunt aliqui; alii negarunt. Affirmantium rationes fuerunt; nam in præsentī casu adest Materia, Forma, Minister, & subiectum Sacramenti confirmatione habile, nempe infans; & quamvis Episcopus non habuerit attentionem in confirmatione peragenda, tamen dici non potest, quod non habuerit sufficientem intentionem; quia intendebat sacrum Chrisma administrare cunctis, quicquid forent illud Sacramentum accipere; & nemo negabit, infantes esse capaces Sacramenti confirmationis, ut docent Leander, & Suarez, quos allegat, & sequitur Tamburin. de Sacrament. confirmationis cap. 3. §. 1. per tot.

Negantium verò validitatem Sacramenti in proposito casu motivum fuit; quia in Episcopo, neque actualis, neque virtualis, neque habitualis fuit intentio; siquidem nunquam proposuit confirmare infantes, & sine Patrino, sed tantum annum discretionis attingentes, & Paternos habentes. Ergo absque ulla intentione inunxit hunc infantem actuali, vel virtuali. Ergo nulliter. Et quamvis infans sit capax Sacramenti, tamen ad essentiam Sacramenti requiritur in ministro intentio vel actualis, vel saltem virtualis confirmandi ipsum

ipsum infantem; & virtualis esse non poterat, quia de ejus essentia est, ut prius actualiter fuerit in ministro & deinde non fuerit revocata; sed in hoc Episcopo antea non fuerat, quia nunquam cogitavit, infantes confirmare; ideo ejus voluntas vix dici potest interpretativa; quæ non sufficit ad validitatem Sacramenti. Tambur. de triplic. jur. libr. 1. cap. 2. §. 1. num. 1. & 2. & cap. 3. §. 1. num. 8. Gobat de Sacramentis tract. 1. num. 74. Cardin. de Lugo disput. 8. num. 90. Eminentiss. Cardin. de Lauræa de Sacramentis in genere disput. 3. art. 4. ubi in terminis agit de intentione interpretativa, quam probat insufficientem esse ad validitatem Sacramenti. Et hæc opinio negativa fuit verior reputata, & verior reputanda. Alter casus est:

3. Sacerdos convalescentia prædeditus, celebrare omittens, suæ tamen devotioni satisfacturus Sacram Synaxim decrevit sumere. Porro cum nullus alius Sacerdos adveniret, ipse suis manibus eam sibi ministravit.

Queritur, An liceat? Parochi, & Confessarii respondentes huic casui omnes affirmarunt, ut contra Pasqualigum tenet Diana Coordinatus tom. 2. resolut. 39. tract. 2. Quæ desumpta est ex part. 11. tract. 7. resolut. 42. ubi plures Theologos allegat idem sentientes, dummodò non sit scandali periculum, & concordant Castropal. tom. 4. tr. 21. punct. 18. num. 10. Suarez in 3. part. tom. 3. disput. 72. sect. 3. Coronius illustr. contrav. lib. 2. contrav. 4. cap. 7. num. 157. qui id restringit ad solum casum necessitatis, vel magnæ solemnitatis, & deficiente alio Sacerdote. Gobat de Sacramentis tract. 4. num. 439. qui hoc concedit etiam extra necessitatis casum, absente alio Sacerdote. Eminentiss. Cardin. de Lugo de Sacram. Euchar. disput. 18. num. 35. & seqq. Et Eminentiss. Cardin. de Lauræa d. tom. 1. de Sacramentis disput. 24. art. 5. num. 67. & 68. ubi cum Lugone id licere affirmat etiam ex devotione; quod ulterius permissum censet pariter Diacono, si Sacerdos non adsit. De hoc plenè dissero De Eucharistia Sacramen. decis. 29. per totam.

Erecto, quòd Sacerdos, & Diaconus sint simul; & uterque velit communicare; certum est, communionem esse Diacono præbendam à Sacerdote. An verò Sacerdoti à Diacono, vel à seipso, Doctores non concordant. Nam Eminentiss. Cardin. de Lauræa d. disput. 24. num. 68. à Diacono Sacerdotem recipere debere, tenet; ea ratione, quia tunc Sacerdos recipit communionem laicam, non Sacerdotalem, sicut quando sacrificat: ergo ab alio debet recipere sicut ipsi laici. Contrarium verò sustinet Diana par. 2. tract. 14. resolut. 33. & d. part. 11. tract. 7. resolut. 42. Quæ relident in Coordinato d. tom. 2. tract. 2. resolut. 39. & resolut. 40. Eò quia decentius videtur, ut Sacerdos propriis manibus consecratis Christi Corpus sumat, quam permittat, illud sibi ministrari manibus Diaconi non consecratis. Porro priori opinioni videtur favere Magrius in Hierolexic. Verb. Diaconus; ubi plura refert Concilia, quibus commissæ est Diaconis Sacrae Eucharistia dispensatio; & eorundem Diaconorum dignitatem, & auctoritatem ex antiquorum SS. Patrum auctoritate demonstrat; sed eisdem porrigere Sacram Communionem Presbyteris Nicæna Synodus vetuit in cap. Pervenit. de Consecr. dist. 2.

Utrum autem in casu necessitatis laici, & mulieres (absentibus Sacerdote, & Diacono) possint sibi Sacram Eucharistiam ministrare? Respon-

Doct. Clericati Tom. 1. Lib. 1.

dendum est negativè: licet enim in primitiva Ecclesia id iisdem concederetur, præcipuè persequutionum tempore; ut in d. Hierolexic. Verb. Eucharistia; & doctè, ac eruditè ex conciliis, & SS. Patribus demonstrat Illustriss. & Reverendiss. Joannes Baptista Cafalius De Veterib. Christianor. Ritib. cap. 14. & 15. Nihilominus huic temporibus est omnino prohibitum ex d. text. in cap. Pervenit. de consecrat. dist. 2. siquidem reverentia, quæ debetur Venerabili Sacramento, præponderat cuiusque beneficio privatarum personarum, ut firmant prælaudati Emin. Cardinales de Lugo d. disput. 18. num. 24. & de Lauræa d. disput. 24. num. 64. & num. 70. usque in finem. Qui respondent exemplo relato de Maria Regina Scotiæ martyrium passa sub Elisabeth Angliæ tyranna; videlicet ex Indulto Apostolico B. Pii Quinti habuisse secum Sacrosanctam Eucharistiam, propriis manibus sumendam. Quòd laici, ac mulieres non possint tangere Eucharistiam, & per consequens nec communicare se ipsos demonstravi in meis Decisionibus de Venerab. Euchar. Sacram. decis. 44. à num. 3. & seqq. Porro an Parochus moribundus, absente alio Sacerdote, possit sibi ipsi Extremam Unctionem dare, disputabitur in Decis. XV. de Extr. Unctione, ubi studiosus videat.

DECISIO XV.

ARGUMENTUM.

Edoet præsens Decisio, quando liceat petere Sacramenta à Ministris indignis? Et quando indignis petentibus ea, possint à Sacerdote ministrari?

SUMMARIUM.

- 1 Sacramenta an petenda à Ministris indignis?
- 2 Baptismus, & Pœnitentia quando recipi possit ab indignis? Et quando alia Sacramenta?
- 3 Ministris dignis existentibus non licet petere Sacramenta ab indignis.
- 4 Indignis quando liceat ministrare Sacramenta?
- 5 Eucharistia quando sit deneganda peccatori occulto.
- 6 Occultum dicitur dupliciter. Et quomodo?

Sed adhuc circa Ministrantes, ac recipientes Sacramenta nonnulla quaestiones satis curiosæ, ac utilia sunt indaganda. Primum sit, An liceat Sacramenta petere ab indigno?

Alii affirmant, quia bonum, & licitum est quod petitur; & à ministro, si vult, licetè solvi potest, prævia contritione. Alii negant; Quia est malum inducere proximum ad peccatum; peccat enim mortaliter Minister indignus, administrans Sacramenta. S. Thom. 3. par. 9. 64. art. 6. Varii varia dixerunt; prout vari, & discordes sunt in resolutione hujus quaestioni tam Scholastici, quam Moralistæ Theologi, allegati à Diana part. 3. tract. 4. resolut. 59. Item par. 4. tract. 4. resolut. 21. Item part. 5. tract. 7. resolut. 4. & d. p. 5. tract. 9. resolut. 133. Item par. 7. tract. 12. & Misc. 3. resolut. 33. alias 31. Item part. 10. tract. 11. & Misc. 1. resolut. 63. & resolut. 64. Novissimè Maffrius in Theolog. Mor. disput. 16. num. 51.

Cæterum vera, & germana responsio desumenda est à sequentibus conclusionibus. Prima Conclusio. Baptismus, & Pœnitentiam in casu extremae necessitatis, id est in periculo mortis, petere, & recipere licet, si alius non adsit minister

C 2

nister

nister idoneus, à quocunque indigno, etiam præciso ab Ecclesia; videlicet excommunicato notoriè & degradato. Azor. tom. 2. lib. 12. cap. 17. quest. 7. Sanchez. de matrim. lib. 7. disp. 9. n. 8. Diana part. 5. tract. 7. ref. 4. Quæ in Coordinato legitur tom. 1. tr. 1. ref. 18. & d. par. 10. tract. 11. & misc. 1. ref. 64. Quæ collocata est in Coordinato tom. 1. tract. 1. resol. 19. Et ratio est, quia urgente præcepto Superioris, cessat obligatio inferioris. Sed præceptum Sacramentorum in periculo Vitæ est divinum, superans præceptum Ecclesiasticum, quo quis fuit præcisus, excommunicatus, seu degradatus. Ergo præferri debet. Ulterius, ubi agitur de evitando periculo animæ, excommunicati conversatio non est prohibita; ut doctè demonstrat Eminen. Card. de Lauræa de Sacram. in genere disp. 11. art. 9. nu. 114. Concordant Abelly in Medull. Theol. tom. 2. part. 2. tract. 1. de Sacram. in gen. cap. 1. lect. 8. Vers. Quæres Utrum. Gobat de Sacram. tract. 1. num. 264. Diana part. 5. tract. 9. resol. 96. Quæ reperitur in Coordinato tom. 1. tract. 1. resol. 16. nu. 3. Sayr. lib. 2. cap. 20. num. 26. Cardin. Tolet. lib. 1. cap. 15. Vers. Septimo & ibi in addit. plurimi & d. lib. 1. cap. 92. num. 2. Mastrius disput. 16. num. 51. Porro Sacerdotem excommunicatum, ac publicè denunciatum, & eò minus degradatum non posse absolvere neque in articulo mortis docui in meis Decisionibus De Pœnitentia decis. 45. num. 2. ex doctrina Fagnani, & ex declaratione S. Congregationis ibi allegatis. Idem dicam de Extr. Vncl. Decis. 12. num. 6.

Secunda conclusio: extra mortis articulum, gravemque necessitatem, vel si alius Sacerdos non excommunicatus haberi potest, non est licitum Sacramenta sive Baptismi, sive pœnitentiæ ab excommunicato denunciato, vel publico Clerici percussore petere, & recipere; ut omnes supradicti Doctores advertunt.

Tertia conclusio. Omnia autem Sacramenta licite possunt peti à quocunque alio Sacerdote non præciso, quamvis indigno, tam in necessitate, quam sine; si dignus reperiri non possit, dummodo ipse indignus vel teneatur ex officio ea ministrare; vel paratus sit ad illa ministranda; & ratio est, quia quod petitur, bonum est; & ipse Minister potest se ab indignitate liberare per actum contritionis, ut ex Cajetano, Soto, Sà, & aliis scribit Diana d. part. 10. tract. 11. Misc. 1. resol. 63. Quæ legitur in Coordinato tom. 2. tract. 3. resol. 16. num. 3. Cándidus in Compend. disquis. moral. disq. 47. art. 4. & Mastrius d. disput. 16. num. 15.

Quarta conclusio. Quotiescunque Minister dignus potest adiri, non est licitum petere Sacramenta à Ministro, quem quis certò scit esse indignum; Sic enim requirit reverentia erga Sacramentum, & charitas erga proximum, nescilicet detur ansa eidem indigno Ministro committendi Sacrilegium. Abelly d. part. 2. tract. 1. cap. 1. in fine. Cardin. Tolet. d. lib. 1. c. 92. num. 4. Sanchez lib. 1. in Decal. cap. 7. num. 15. Castropal. tom. 1. resol. 6. disp. 6. punct. 10. num. 5. Tamburin. lib. 5. in Decal. cap. 1. num. 68. & num. 72. in fine. Et novissimè, pœ, & doctè Eminen. Card. de Lauræa de Sacram. in genere disp. 11. art. 9. num. 119.

Alterum Quæsitum est, Quando liceat, ministrare Sacramenta indignis?

Responsa habentur in duobus concordantiis; dissonantia in tertio.

Primum, in quo omnes concordant, est: publicis peccatoribus non esse Sacramenta ministranda; sive ipsi publicè, sive privatè petant. Ratio est, quia scriptum legitur Matth. 7. Nolite sanctum dare canibus. Et Matth. 15. Non est bonum sumere panem filiorum, & dare canibus; id est, peccatoribus publicis, de quibus in Psal. 58. famem patientur canes. Ulterius illicitum est Ministro Ecclesiæ operari contra Religionem; & contra Eucharistiam. Sed contra Religionem est dare Sacramenta publicis peccatoribus, qui reddunt ea frustratoria, & sine effectu; & contra charitatem, quia iidem suscipientes indigni grave peccatum committunt. Item non est licitum Medico corporali dare medicinam, quam certò scit mortiferam fore infirmo. Ergo neque Medico spirituali. Item gravissimum irreverentiæ peccatum esset, projicere Eucharistiam in lutum, vel in sterquilinum; sed tale est os peccatoris, de quo Sap. 9. Luto vilior vita ipsius. Et tandem, nulli Ministro licet operari contra fidelitatem Domino servandam in ministerio. Sed ministerium Sacramentorum exigit, ut dispensetur dignis, non autem indignis. Ergo. Et sic docent omnes Theologi. S. Thom. q. 68. art. 4. & q. 80. art. 6. Scotus in 4. dist. 9. qu. 1. Layman lib. 5. tract. 4. cap. 6. num. 8. Gobat de Sacramentis tract. 1. n. 267. & 268. ubi refert verba S. Joann. Chrysost. ad Sacerdotes, quæ leguntur in Brev. fer. 2. infra Octavam Corporis Christi, & num. 269. & 270. quo loci declarat, illum censeri indignum, qui scit peccasse mortaliter; & de ejus emendatione nullatenus constat. Bonacina tom. 1. de Sacram. in genere disp. 1. q. 6. punct. 4. num. 2. ubi alios DD. allegat. Cottonius lib. 2. controv. 4. n. 168. & seqq. Thomas Tamburin. in Method. SS. Commun. cap. 6. §. 2. num. 7. & 8. plurimis relictis Eminentiss. Card. de Lugo de Sacram. disp. 8. sect. 10. num. 166. & Eminen. Card. de Lauræa eod. tract. disp. 10. art. ult. num. 67.

Alterum, in quo omnes, & singuli conveniunt, est, tunc ministrandum esse Sacramentum, ipsamque Eucharistiam peccatori occulto sive publicè, sive privatè illam petenti, quando Sacerdos habuit notitiam peccati illius, & suæ indignitatis in Sacramento Pœnitentiæ, seu Confessione; & ratio est, quia nemo uti potest scientia, quam habuit in Confessione, ne reddat odiosum Pœnitentiæ Sacramentum, cujus sigillum non solum est de lege naturæ; sed de lege divina positiva, & Ecclesiastica; & ideò Sacerdos extra Confessionem ita se habere debet, ac si nesciret delictum auditum in Confessione. Et hoc pariter docent omnes Doctores supracitati, Diana part. 3. tract. 4. ref. 46. Quam continet Coordinatus in tom. 2. tract. 2. ref. 30. ac etiam Emin. Card. de Lauræa d. disp. 10. art. ult. num. 69.

Tertium, (in quo dissonantia extiteret Responsa Cleri nostri) est; quid agendum, quando publicè Eucharistiam petit peccator occultus, cujus indignitatem novit Sacerdos extra Confessionem? Nam communissima est Theologorum opinio, in tali casu non esse denegandum Eucharistiam ex pluribus rationibus, sed ea præcipuè, quia de lege naturæ tenetur homo non ledere famam proximi, cujus delictum occultum est, & pro hac opinione sunt duo textus favorabiles in cap. Placuit. 6. q. 2. & in cap. Si Sacerdos. de offic. ordinar. quos allegat Layman. d. lib. 5. tract. 4. cap. 6. num. 10. Vers. dico tertio. Tamburin. Bonacina, & alii plurimi, quorum assecla copiosissimus est idem Emin. Card.

Card. de Lugo d. disp. 8. §. 11. & his Doct. ribus, ac eorum auctoritati adhaesit magna studentium nostrorum caterva.

Ceterum alii amplexi sunt contrariam opinionem, videlicet, negandam esse omnino Communionem peccatori occulto publice petenti, cuius indignitatem scit Sacerdos extra Confessionem, quam acerrimè tuetur Eminen. Cardinalis de Lauræa d. disp. 10. art. ult. num. 68. ubi eruditè probat, omnes rationes supra allegatas pro non communicando peccatore publico, militare etiam contra peccatorem occultum. Neque prævalet asserta ratio tuendi famam proximi; nam ita eam confutat Eminentia sua: Quando urget majus præceptum, minus intelligitur pro tunc relaxatum; ita de Regulis Juris, & ratio naturalis dicat. Majus autem, & superius, ac primum Præceptum est, Deum ne dum positivè colore, sed nunquam inhonorare, quacunq; accedente occasione. Ergo posita occasione servandi famam proximi, & Dei honorem, hoc urget præceptum, & hoc est servandum. Cum autem quis petit aliquod Sacramentum in mortali, adest utrumque periculum lædendi honorem Deo debitum in ministrante fidei, & sancta in tractandis sanctis; & periculum lædendi honorem proximi. Ergo potius hic, quam ille est lædendus (seu melius) magis ab ea quam ab hac offensa abstinendum. Ita eruditè Alenius loco citato.

Secundo: à majori malo tam proprio, quam proximi est semper abstinendum, potius quam à minori, si in alterutrum incurrere sit necesse: sed minus malum infertur proximo occulto peccatori, denegando Sacramentum sive in publico, sive in occulto, quam ei ministrando. Ergo præceptum illud charitatis, seu famæ non impedit ad negandum, nec impellit ad dandum.

Tertio: si tale præceptum charitatis, & famæ proximi in hoc casu urgetur, in omnibus urgetur, ut non servaretur divinum, seu naturale, vel Ecclesiasticum præceptum, ne fama proximi lædatur; & sic nullus teneretur ad denunciandum occultum hæreticum, aut abutentem Sacramentis, aut sollicitantem in Confessione; & sic de aliis, quæ secum afferunt obligationem denuntiationis, quia in his omnibus fama proximi læderetur.

Quarto idem Auctor eodem numero (videlicet Card. de Lugo de Sacramentis disput. 8. sect. 10. num. 176.) docet, non posse Ministrum dare Eucharistiam ei, quem scit in occulto abutendum esse illa, etiam si publice petat; ergo si in hoc casu non habetur respectus famæ proximi (& merito) neque in aliis casibus occultæ notitiæ. Consequentia est evidens; nam utrobique urgent duo, & eadem præcepta, scilicet Charitatis, & Religionis, ac fidelitatis erga Deum; & charitatis erga proximum. Igitur si in alterutro charitas proximi est præferenda, etiam in alio; vel si in alterutro religio, & fidelitas, atque charitas erga Deum, etiam in aliis; eodem enim modo læditur fama proximi, cui negatur Eucharistia; eo quia eam sit combusturus, ac dum ei negatur eo quia non sit capax; & eodem modo videtur fieri irreverentia Sacramento, dum in subjectum incapax immittitur, ac dum datur alicui, qui illud est combusturus.

Hucusque Cardinalis Eminentissimus, ac Sapientissimus de Lauræa, qui eodem art. ult. sub n. 78. subdit. Scio quidem, hanc meam Sententiam, Parochis præferam, asperam futuram; sed

sciant, me aliter sentire non posse tuta conscientia: licet enim ex rationibus, multisque mutaverim conscientiam, an aliter sentire, & docere possem; at specialiter precibus à Deo id petierim; nullam tamen inveni rationem, quæ me convinceret; sed dictamine proprio, Dei honorem, ac mandata ipsum respicientia aliis omnibus præferenda, continuo stimulatus, propterea in conclusionem hanc deveni.

Porrò hujus Eminentissimi Auctoris opinio corroborari etiam potest decreto Sacri Tridentini Concilii in cap. 1. de reformatione. sess. 14. in quo tribuitur Episcopo facultas interdicendi clericis ascensus ad Sacros ordines etiam ob crimen occultum; Undè si argui potest: Valet argumentum à multo magis. Sed minor religionis offensa est dare ordines indigno, per quos habilitatur ad conficiendam Eucharistiam, quam tradere indigno Eucharistiam ipsam; sicut minor injuria est lacerare insignia Principis, quam Principem ipsum. Jul. Clar. lib. 5. sent. Et nihilominus ad hanc Religionis offensam evitandam concessum est Episcopo denegare ordines indigno, etiam si delictum sit occultum. Ergo multo magis erit deneganda etiam peccatori occulto Sanctissima Eucharistia; cujus indigna sumptio relevat supremam Religionis offensam: nam Omnis devotio in Ecclesia est in ordine ad hoc Sacramentum. Scot. in 4. d. 8. qu. 1. Et ferè omnia Sacramenta in Eucharistia consumantur. S. Thom. tertia par. qu. 65. art. 3. & in Supplem. q. 37. art. 2.

Hunc amplectendo opinionem, tanquam magis piam, & religionis iutricem, oportet respondere, (non quidem rationibus opinionis contrariæ, quæ restringuntur in supposito præcepto charitatis de non lædenda fama proximi, quibus abundanter satisfacit Emin. de Lauræa tot. d. art. ult.) sed citatis duobus textibus in cap. Placuit 6. quest. 2. & cap. Si Sacerdos. De Offic. Ordin.

Sed non est difficilis responsio, si diligenter consideretur, quòd dupliciter intelligi potest delictum occultum. Uno modo simpliciter, & juxta 6. proprietatem vocabuli, videlicet illud quod nulla ratione probari potest; eo quia vel nullus scit, vel tantum unus scit. Altero modo, quando duo, vel tres notitiam habent delicti, quod nihilominus dicitur occultum, id est, secretum, & penè occultum, ut notat Speculator in tit. De Notor. Crimin. §. Penè occultum num. 1. & late examinat Fagnan. tom. 4. in cap. Vestra à nu 48. & segg. De cohabit. Cleric. & Mulier. Et novissimè prosequitur Jacob Pignatell. tom. 6. consult. 99. Modo in citatis text. Placuit, & Si Sacerdos, delictum erat omnino occultum, quia unus tantum illud sciverat, & peccatore ipsum negante, probari non poterat; & hac de causa decisum fuit, non licuisse denegare ei Communionem. Et in hoc sensu procedere potest prima opinio, quæ vult, esse dandam Eucharistiam peccatori occulto, si eam publice petat. Sed stando in nostro qualito, & amplectendo opinionem Alex. de Ales, & Eminentiss. de Lauræa, eam procedere dicimus in occulto probabili quando saltem duo sint testes, qui habeant notitiam indignitatis, & peccati occulti illius, qui indignè petit Sacramentum; licet enim adhuc delictum sit occultum, hoc est secretum; debet Sacerdos denegare Eucharistiam huic indigno, quamvis petenti eam publice, præferendo præceptum Religionis, & reverentia erga Deum, præcepto charitatis de non lædenda fama,

ob denegatam Communionem; siquidem si peccator ille occultus vocem tulerit, poterit Sacerdos iustificare eum, & factum suum, probando delictum; sufficit enim de Jure dictum duorum testium l. *Ubi numerus*, ff. de testib. cap. in omni negotio. De Testib. Deuter. 19. 15. Fagnan. in cit. cap. *Vestra*, num. 128. & Carol. Felix. de Matta de Canonizat. Sanctor. par. 4. cap. 17. num. 2.

DECISIO. XVI.

ARGUMENTUM.

Duo præcipui casus resolvuntur, An liceat recipere Eucharistiam à Sacerdote Concubinario illam publicè ministrante? Et an danda sit Concubinis se ad eam sumendam cum aliis ad Sacram Mensam præsentantibus?

SUMMARIUM.

1. *Communio Eucharistica an recipienda à Sacerdote Concubinario eam ministrante?*
2. *Concubinario, asserentes ab omni carnis peccato se abstinere, an Sacram Eucharistiam an admittendi?*
3. *Concubini ad invicem non separati an absolvi?*
4. *Concubinos posse absolvi, non facta separatione, est opinio damnata.*
5. *Confessarius absolvens à reservatis qua pena sit puniendus?*

In harendo doctrinæ antecedentis Decisionis circa petitionem licitam Sacramentorum à Ministris indignis; & circa ea administramenta petentibus indignè, duo sequentes casus veniunt resolvendi. Primus Casus est:

Vir solitus singulis Dominicis diebus Sacram Eucharistiam recipere, videt in Ecclesia Sacerdotem eam pluribus ministrantem, quem certò scit Concubinarium fore. Queritur, an licitè possit accedere cum aliis, & ex manibus illius Sacram Synaxim accipere?

Plurimi negant: quia administrare Sanctissimam Eucharistiam est actus per se pertinet ad ordinis Sacramentum, & ideo minister concurrat per characterem ad talem actum, ut minister religionis, & ex officio. Item, quia hoc ministerium versatur immediate circa Sacramentum omnium Sanctissimum, & ideo exigit Sanctitatem in ministro, qui si in peccato ministrat, peccat mortaliter. Et tandem cum hoc Sacramentum sit ceteris excellentius propter realem Christi præsentiam, si peccat mortaliter alia Sacramenta in mortali conferens, multò magis conferendo hoc Sacramentum, quod non nisi à ministro consecrato, & ex officio conferri potest, ut tenet S. Thom. in 4. dist. 5. art. 2. q. 4. ad 2. Paludan. d. 13. q. 1. art. 4. concl. 1. Richard. d. 13. art. 1. q. 3. Sotus q. 1. art. 4. Suarez disp. 16. sect. 4. & disp. 72. sect. 4. Valentia tom. 4. disp. 6. q. 10. p. 1. Bonacina de Sacramen. disp. 4. q. 5. punct. 2. num. 3. & Coton. lib. 2. contr. 4. cap. 8. num. 173. ubi allegat text. in cap. fin. 15. q. 8. Qua stante opinione, Vir, de quo in casu, non potest licitè accedere, & Sacram Eucharistiam à concubinario Presbytero recipere; quia præberet ei majorem occasionem peccandi ex S. Thom. 3. par. quest. 64. art. 6. ut dictum est supra ad primum quæsitum præteritæ Decisionis.

Cæterum & alii plurimi affirmant, licere huic Viro communionem à prædicto Sacerdote recipere, præcipuè, quia administrantem illam reperit; est

enim communis Neotericorum opinio, quòd non peccet mortaliter Minister indignus, alios communicans; quia tunc non conficit Sacramentum, sed illud distribuit, & non consideratur tanquam minister Dei ad justificationem proximi, sicut in aliis Sacramentis, sed est tantum velut applicans activa passivis, ut cum citatis Vasquez, Ledesma, Nogo, & aliis sustinet Diana part. 2. tract. 14. resol. 23. Quæ habetur in Coordinato ejus opere tom. 2. tr. 2. resol. 25. & ibid. resol. 26. & 27. ac pluribus aliis resolutionibus in margine annotatis; quibus ad stipulatur Barbosa de Off. Parochi cap. 20. num. 17.

Alterutram ex his opinionibus sequens reprehendi non potest, attenda Doctorum auctoritate; cui nihilominus prævalere debet Juris Canonici dispositio in cap. Nullus, & cap. Præter dist. 32. ubi statuitur, ne quis audiat Missam Sacerdotis Concubinario. Quare prior opinio in praxi esset tenenda, præcipuè si ad alium Sacerdotem foret facilis accessus, juxta notata in supra cit. Decis. XIV. num. 3. hujus tractatus de Sacram. in genere. Et in meis Decisionibus De Venerabili Euchar. Sacram. Decis. 4. per totam. Alter casus est.

Concubinum, & Concubinam asserentes se amplius carnaliter non tangere, sed ratione gubernii domus cohabitare simul admonuit Parochus esse incapaces Sacramentorum, nisi ab invicem separantur, tum ob scandalum, tum ob periculum occasionis proxime; Edicto huius diœcesis præcipuè attento, quo Eminentissimus Præsul hunc Casum posuit inter reservatos sibi. Nihilominus ipsi replicant, reperisse alibi Confessarium (ex illis, qui excusant excusationes in peccatis, & dicunt bonum malum & malum bonum, lsa. 5. 20.) à quo fuerunt absoluti; ideoque strenuè se præsentant Parocho prædicto, Sacram Eucharistiam ministranti, illam ab eo recepturi. Queritur, quæ sint partes Parochi prædicti?

Pro resolutione hujus Casus, non ficti, sed facti; sapientiores nostri Cleri, & in Sacra Theologia, simulque in Sacris Canonibus versatissimi præmiserunt.

Primum; quòd Concubinus, & Concubina, de quibus in casu, quamvis se amplius carnaliter non tangerent, nihilominus absolvi non possunt, nisi ab invicem separantur, tum ratione scandalii respectu proximorum, à quibus sciri, credi hęc asserta continentia haud potest; tum respectu periculi reincidendi in foveam carnalem ob occasionem proximam, vel opere, vel desiderio, aut morosa delectatione; non obstantibus frivolis argumentationibus Joannis Sanci disput. 9. num. 6. & disp. 10. num. 20. Diana part. 5. tr. 14. res. 107. res. 108. & res. 109. Quæ leguntur in Coordinato tom. 1. tract. 4. resol. 31. resol. 32. & resol. 33. & aliorum modernorum; à quibus omnino discrepant Sanctissimi, & doctissimi Patres in hoc puncto, qui omnino voluerunt, Concubinos non esse absolvendos nisi prius supradicta reciproca separatio fiat S. Thom. in 4. dist. 15. q. 1. art. 1. S. Antonin. 3. part. tit. 14. cap. 26. Emin. Cardin. de Lugo. de Penit. disp. 14. cap. 10. num. 149. Azor. Insit. Moral. part. 3. lib. 3. cap. 6. in fin. Tambur. de Expedit. Confess. lib. 3. cap. 3. §. 1. num. 2. & num. 12. Navar. in Manuali cap. 16. num. 20. & in cap. Satisfactio de Penit. dist. 3. Sylvest. Verb. Confessio. q. 25. Et Verb. Concubina num. 3. Mosconius de Majest. Militantis Ecclesia lib. 2. c. 10. in fine Summa Angel. Verb. Concubina num. 1. Riccius de Personis, quæ in statu reprob. lib. 3. cap. 33.

SUMMARIUM.

cap. 33. & Gobat, de Sacram. tract. 7. num. 5. & 35. in fine. Et hisce temporibus non sunt amplius audiendi auctores contrarii, stantibus Decretis Pontificiis eorum opiniones, & doctrinas damnantibus sub anathemate, ut legitur in Decreto Alexandri Papæ Septimi die 2. Septemb. 1666. Propos. 41. & Innocentii Papæ Undecimi die 4. Martii 1679. Propos. 61. & 62. Quæ non solum habet Ballarium Romanum, sed etiam mea Erotemata edit. 2. Busenbaum & Summa Diana in calce operis. Et de eis latè disserit Cardenas in Crisi Theologica Dissert. 40. per tot. Et ego egi de Penitentia Decis. 13. n. 16. nec non in Decis. 31. n. 7. & 8. Unde fit, nullam fuisse absolutionem Sacramentalem, eamque invalidam impertitam à Confessario, ex illis, qui vel ex ignorantia, vel ex laxiori conscientia ob temporale lucrum sæpe sæpius ad prævaricandum impellunt; cum prædicti Concubini non forent dispositi, neque capaces, juxta tradita per me d. Decis. 31. n. 8. de Sacram. Penit.

Alterum: Et eò minus attenda prohibitione, facta per Eminentissimum Præfulem Patavinum, Edictò suo, Episcopali die 10. Aprilis 1683. absolvendi Concubinos, nisi prius dimiserint mulieres à suis domibus, non amplius reverfuras; & ejusdem casus repositione inter reservatos Eminentie Suae vigore S. Concilii Tridentini Sess. 14. cap. 7. adeò ut Confessarius, qui præsumpsit absolvere antedictos Concubinos, sit graviter puniendus, etiam excommunicationis pœnas; & quatenus Regularis fuisset, & prætextu Privilegiorum absolvere attentasset ipsos concubinos, incurrisset in excommunicationem Papæ reservatam ex Decreto Sacre Congregationis relato à Quarani. in Verb. Casus reservati. & à P. Ant. Volpi resol. 20. num. 29. & 30. à Diana part. 2. tract. 17. resol. 30. Quæ in Coordinato habetur tom. 7. tract. 1. resol. 273. & ab Antonello de Regimine Milit. Ecclesia lib. 8. cap. 1. num. 13. Et quod Confessarii etiam Regulares possint absolvere à peccatis per Episcopum sibi reservatis, est opinio damnata ab Alex. VII. la. 12. ut scripsi de Sacram. Penitent. Decis. 46. num. 17.

Quibus præmissis, resolvendo Casum dico: Vel dicti concubini sunt notorii saltem ex duorum, vel trium testimonio? Et Parochi partes sunt, iisdem constanter denegare Sacram. Communionem; rationibus, & auctoritatibus supra deductis in Decisione præcedenti hujus tractatus, videlicet Decis. 15. n. 4. & latissime in meis Decisionibus De Ven. Eucharistia Sacram. Decis. 28. per totam; & ex doctrina Eminentissimi Cardinalis de Lauræa de Sacramentis disp. 10. art. ult. à num. 68. Cui concordat alius Eminentissimus, & Sanctissimus simul, id est S. Carolus Borromæus in Concil. Mediol. 1. part. 2. tit. Quæ pertinent ad Sacram. Euchar. Vel prænarati Concubini omnino sunt occulti, ita ut se revelaverint esse tales Parochi, in Sacramento penitentiae; & tunc, eos communicare poterit juxta doctrinam relatum in supradicta præcedenti mea Decis. 15. n. 4.

DECISIO XVII.

ARGUMENTUM.

Declarat hæc Decisio quot sint effectus Sacramentorum; & doctè explicat effectum primum cujuscunque Sacramenti, scilicet Gratiam.

- 1 Effectus Sacramentorum qui, & quot sint?
- 2 Gratia divina quid sit? & Quotuplex?
- 3 Gratia Sanctificantis divisiones variae.
- 4 Gratia alia prima, alia secunda datur in Sacramentis.
- 5 Gratia vel ex opere operato, vel ex opere operantis, quæ sit?

TAndem pro complemento eorum, quæ sunt scitu simpliciter necessaria circa hunc tractatum de Sacramentis in genere, investigare oportet, Qui & quot sint effectus Sacramentorum? Et equidem ex omnium Theologorum, ac Canonistarum doctrina communis est responsio, eos esse tres. 1. Gratiam sanctificantem, ex opere operato. 2. Characterem. Et 3. Ornatum animæ, & auxilia quadam ad obtinendum finem, in quem singula Sacramenta sunt à Christo Domino ordinata. Primus effectus, id est Gratia, est communis omnibus Sacramentis ex Concil. Trident. sess. 7. can. 8. Secundus nempe Character reperitur in tribus tantum, videlicet in Baptismo, in confirmatione, & in Ordine. Tertius est proprius omni Sacramentorum, S. Thom. 3. p. q. 62. per totam; Scotus in 4. d. 1. q. 7. K. Summa Diana Verb. Sacramentum numer. 8. et diu. Tolet. lib. 2. cap. 16. num. 3. Gobat, de Sacram. tract. 1. num. 279. 280. 281. Eminentiss. Card. de Lugo eod. tract. disp. 4. & disp. 6. & novimè. Eminentiss. Card. de Lauræa tom. 1. de Sacram. tract. 8. art. 2. & disp. 9. art. 1.

Quod autem pertinet ad primum effectum, adhuc fas est explicare, Quid, & quotuplex sit gratia Divina? Quare sciendum est, quod Gratia Divina in genere sumpta significat omne bonum, omneque donum tam naturale, quam spirituale, quod deus hominibus largitur. Eminent. Card. de Lauræa in Opuscul. de Gratia num. 6. Gratia autem est duplici differentia. Una est, quæ vocatur Gratia gratis data. Altera, quæ dicitur Gratia Sanctificans, seu gratum faciens. Illa est liberalis Dei donatio bonorum suorum ad utilitatem proximi, quæ quidem dona sunt novem, descripta ab Apostolo. Cor. 12. 10. Videlicet, Sapientia, Scientia, Fides, Gratia sanitatum, Operatio Virtutum, Prophetia, Discretio spirituum, Genera linguarum, & Interpretatio sermonum. Vocatur autem hæc gratia à S. Thom. 2. q. 111. art. 5. inferior, & minus digna, tum quia potest haberi, & non haberi juxta Dei placitum; tum etiam quia reperitur aliquando in homine peccatore. Eminentiss. Card. de Lauræa disp. 11. num. 62. ut in Juda proditore, & in Balaam 2. Petr. 2. 15. quamvis raro id eveniat, ex Divæ Theresiæ testimonio relato à Volpi resol. 70. num. 1. Paulo Segner. in Christiano Instr. par. 2. pag. 8. num. 10. Gratia verò Sanctificantis, seu gratum facientis plures datæ sunt definitiones. Nam ex S. Thom. q. 62. art. 1. Est quædam participata similitudo Divinæ naturæ. Ex Polyanchæa in Verb. Gratia est auxilium, quo indiget homo ad beatitudinem consequendam. Ex Caramuele Theol. fundam. lib. 2. fund. 59. num. 1375. Est qualitas, qua Clementissimus Deus peccatorem justificat. Ex Reginaldo lib. 26. num. 43. Gratia gratum faciens est habitus supernaturalis, infusus animabus nostris, ex Dei dono, quo ei reconciliamur, & ad suam amicitiam admittimur; ita ut inde formaliter sancti, & justi simus, ac secundum spem hæredes vitæ æternæ; vel qui jam justi sunt

& sancti, magis iusti, & sancti efficiantur. Tandem ex Catechismo Rom. de Baptismi effectib. sess. 50. Est divina qualitas in anima inhaerens, ac veluti splendor quidam, & lux, quæ animarum nostrarum maculas omnes delet; ipsasque animas pulchriores, & splendidiore reddit. Quam definitionem exornando declarat Volpi d. resol. 70. num. 4. ubi num. 7. subdit, Gratiā hanc sanctificantem esse vitam animæ; sicut enim corpus mortuum est, cum sine anima est, & vivum cum illa; ita homo est vivus vita spiritali, cum habet hanc gratiā; & mortuus, cum illa caret: & propterea est omnino necessaria ad salutem, quia sine ipsa impossibile est mereri vitam æternam. Concil. Trid. sess. 6. can. 1. 2. & 3. cum hac autem Gratiā dantur in anima supernaturales habitus virtutum inseparabiles ab ipsa gratiā, tanquam quædam ejus proprietates; deinde alia peculiariora dona propria singulis Sacramentis. S. Thom. 3. p. q. 62. art. 2. Gobat d. tract. 1. num. 280. & 281. Bonacina d. tom. 1. disp. 1. q. 4. Punct. 1. num. 6. Maffrius in 4. Sentent. d. 1. num. 337.

Porrò Gratiā gratum faciens variè dividitur à Theologis Moralibus, & à Theologis Speculativis. Hi docent, Gratiā esse vel Prævenientem, vel excitantem, vel adjuvantem, vel cooperantem, vel subsequenter, vel medicinalem, & sanantem, vel sufficientem, vel efficacem, vel quā, & sine quā. S. Thom. in 1. 2. q. 111. art. 2. & 3. Cajetan. ibid. Volpi d. resol. 70. num. 11. Novissimè Eminentiſſimus Cardinalis de Lauræa in suis doctissimis opusculis d. opuscul. 3. de Gratiā, & auxiliis, num. 13. & sequentibus, ubi sic declarat prædictas divisiones,

Gratiā, seu auxilium præveniens est illa, quæ Deus prævenit intellectum, & voluntatem humanam in ordine ad actus bonos, & sanctos, illuminando intellectum ad cogitandum hic & nunc de illis; & inspirando voluntati, ut consentiat, & exequatur.

Gratiā excitans est illa, quæ animam quasi sopitam, & de bono non cogitantem, excitat ad cogitandum, & cupiendum tale bonum.

Gratiā adjuvans est illa, quæ Deus hominem illuminatum, præventum, excitatum, ac expegefactum adjuvat, ut exequi possit bonum illud, jam cognitum & inspiratum, ut exequatur.

Gratiā cooperans solo nomine differt ab excitante, seu adjuvante; quia non est aliqua species ab eis distincta.

Gratiā subsequens est eadem cum adjuvante, & solum differt in modo, & duratione usque ad finem vitæ, ac operis.

Gratiā medicinalis, seu sanans est eadem cum præveniente, & adjuvante, nec non cum efficace; sed sic appellatur respectu diverſi modi, & ab effectu medendi, seu sanandi.

Gratiā sufficiens illa dicitur, per quam potest homo piis actionibus, & bonis operibus, salutem suam procurare, & consequi; & quam Deus nulli habenti rationis usum denegat; sed ei gratiā restituitur, & non obsequitur effectus salutis.

Gratiā efficax est illa, quæ opus bonum, sive præcepti, sive consilii à Deo inspiratum, connexum habet. Et hanc non omnes fideles ex iusto Dei iudicio obtinent. Sciri autem non potest causa evidens, & convincens, cur Deus non det singulis hominibus hanc gratiā efficacem; sed certum est, ejus divinam voluntatem esse iustissimam, & ab acceptione personarum, ac iniquitate alienissimam; ideo exclamare oportet cum Apostolo ad Rom. 11.

34. O altitudo divitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei; quam incomprehensibilia sunt iudicia ejus!

Gratiā Quā, & sine Quānon, dicitur prout convenit, vel adversatur efficaci; & non differt specie, sed in modo, ut subtiliter explicat prælaudatus Eminentiſſus. Cardin. de Lauræa in ipso 3. opuscul. de gratiā cap. 6. & cap. 7. à cuius eminenti intellectu acumine prædictæ omnes species Gratiæ divinæ explicantur, & comprobantur auctoritatibus Sacræ Scripturæ, & Sanctorum Patrum, & præcipuè S. Augustini, cuius doctrinam sequitur, tueri in dicto opusculo. Nonnulla declarat etiam Coninch. de Penitent. disp. 2. dub. 1. Volpi. cit. resol. 170. num. 18. & Maffrius, in 1. Sent. disp. 5. num. 164. Theologi autem Morales dividunt Divinam Gratiā in relatione ad Sacramenta; in Primam, & Secundam.

Gratiā prima est, quæ datur existenti in statu peccati originalis, vel actualis mortalis per baptismum; quando vel puer, vel adultus baptizatur; vel peccatori baptizato attritionem tantum habenti, & confitenti per Sacramentum Penitentia.

Gratiā secunda dicitur, quæ datur jam existenti in statu gratiæ, facta additione novi gradus ejusdem gratiæ ad priorem jam habitum. Reginald. d. lib. 26. num. 43. Volpi d. resol. 170. n. 19. Marcant. in Candelabr. Mystic. tract. 1. lect. 4. Summa Diana Verb. Sacramentum num. 8. Cardin. Tolet. d. lib. 2. cap. 16. num. 4. Eminentiſſus. Cardin. de Lauræa tom. 1. de Sacramentis disp. 8. art. 11. & art. 12.

Tandem eadem gratiā sacramentalis alia dicitur ex opere operato, quæ procedit ex virtute Sacramenti suscepti, & meritis operatis Christi; alia ex opere operantis, quæ meretur ex devotione, & dispositione suscipientis. Card. Tolet. d. lib. 2. cap. 16. num. 3. Reginaldus d. lib. 26. num. 46. Volpi resol. 171. num. 1. Bonacina tom. 1. de Sacram. in gen. disp. 1. q. 4. Punct. 1. Cardin. de Lugo de Sacram. disp. 4. num. 1. Maffrius in 4. Sentent. disp. 1. num. 138. & Eminentiſſus. Cardin. de Lauræa d. tom. 1. de Sacram. disp. 11. art. 8. per totum.

DECISIO XVIII.

ARGUMENTUM.

Enucleantur duo casus famosi; de modo, & tempore, quibus recipiat gratiā, tum qui communicat cum mortali ignorato, tum qui adultus baptizatur non dolens de actualibus peccatis.

SUMMARIUM.

1. Gratiā primam an recipiat, qui Eucharistiam recipit cum peccato mortali ignorato?
2. Adultus non dolens de peccatis in baptismo, an recipiat gratiā? & num. 5.
3. Fictio recedente an Sacramentum producat gratiā.
4. Fictio triplex in adulto suscipiente baptismum.
6. Ignorantia invincibilis de peccato removel obligationem gratiæ.

Porrò, quia peccatum mortale impedit affectionem gratiæ, & ea stare non potest simul cum peccato, resolvendus est sequens Casus. Petrus accedit ad Sacram. Eucharistiam cum peccato mortali, cuius tamen non recordatur, & nunquam habuit contritionem. Queritur, an recipiat gratiā virtute Sacramenti Eucharistiæ? Ad hunc casum DD. affirmativè respondent, Supposito, quod ipse Petrus diligenter

diligentem suae conscientiae examinationem praemiserit. Quia etsi proprium sit solius Baptismi, & Penitentiae causare primam gratiam; illa enim dicuntur Sacramenta mortuorum: & Eucharistiae, aliorumque Sacramentorum, quae vivorum appellantur, causare gratiam secundam, seu augmentum gratiae primae, nihilominus in proposito casu Eucharistia habet virtutem causandi etiam gratiam primam; ea ratione, quia Petrus suscipiens Eucharistiam cum peccato ignorato invincibiliter, non suscipit indignè; dignitas enim requisita ad Eucharistiam suscipiendam est dignitas humano modo cognoscibilis; alioquin deberet expectari revelatio divina de dignitate sumentis; ergo sic sumendo recipit gratiam Sacramenti, quae semper datur non ponenti obicem, quem non ponit Petrus ob totalem oblivionem peccati. Ita ex S. Thom. 3. p. q. 79. art. 3. & ex Scoto in 4. dist. 9. quest. Unic. C. Suarez. de Euch. disp. 63. sect. 1. concl. 3. Bonacina d. disp. 1. q. 4. Punct. 2. num. 4. & 5. Cardin. Tolet. lib. 6. cap. 14. num. 1. Summa Diana Verb. Communionem 28. & Verb. Sacramentum n. 8. Ipse Antonin. Diana part. 5. tract. 13. resol. 1. Quae sibi sedem fecit in Coordinato opere tom. 1. tract. 1. res. 23. Layman lib. 5. tr. 4. c. 6. n. 5. Volpi resol. 57. an. 3. & seqq. Gobat. de Sacram. tract. 4. n. 459. Mastrius in 4. Sent. d. 1. num. 350. Fagnanus in cap. Cum venisset sub num. 2. de Sacra Unctione. Vers. ad has difficultates tom. 2. p. 290. Novissimè Emin. Card. de Lauræa d. tom. 1. de Sacramento Eucharistiae disp. 26. art. 1. num. 5. ubi hanc opinionem tutatur pluribus rationibus, quibus (attenta egregia pietate hujus Eminentiae, & ejus more non adhaerendi peregrinis, sed solidis opinionibus) depellitur omnis haesitatio, quae ex contraria opinione Card. de Lugo de Sacram. Euchar. disp. 12. sect. 1. & ex aliorum DD. quos citat, & sequitur Cotonius Controvers. illustr. libr. 2. controvers. 4. num. 54. poterat remanere.

Hinc enucleandus venit alius casus difficillimus circa affecutionem gratiae primae ob obicem peccati. Casus est hujusmodi.

- Baptizatur adultus, quineque contritionem, neque attritionem habet actualium peccatorum antea commissorum. Queritur, quomodo & quando gratiam recipiat, & dicta peccata deleantur? Respondent Theologi resolutionem hujus casus pendere ab illa insigni quaestione à Theologis agitata; An Sacramentum susceptum cum fictione, recedente fictione, producat gratiam, & peccata remittat?
- 3 Circa quam novem opiniones inter se diversas reperisse ait Thom. Tamburin. de Sacram. in gen. lib. 1. cap. 3. §. 2. n. 9. & plures plurimi referunt, praecipue Emin. Card. de Lugo eod. tract. disp. 9. sect. 3. Gobat. tr. 1. n. 283. & tr. 2. n. 648. Regnaldus lib. 27. n. 69. Diana par. 3. tract. 4. resol. 14. Quae sibi conhabitu culi in opere Coordinato tom. 1. tr. 1. resol. 26. duxit Item. par. 3. tr. 4. resol. 15. nec non par. 5. tr. 13. resol. 30. Quae pariter sedent in eodem Coordinato d. tom. 1. tract. 1. resol. 24. & 25. Bonacina tom. 1. De Baptismo disp. 2. quest. 2. punct. 7. num. 13. Cotonius lib. 2. contr. 2. num. 98. Volpi resol. 10. num. 5. Eminentis Card. Capisuechius in suis Quaestionib. Theol. quest. 3. & luculenter, ac profundè de more Emin. Cardin. de Lauræa d. tom. 1. de Sacramentis in gen. disp. 11. art. 3. & 4.

Paucis restringendo quae profusis calamis, & per Doctores impressa, & per Decisores expressa inve-

Doct. Clericali Tom. 1. Liber 1.

ni; duo sunt prae notanda. Unum, quod triplex potest esse fictio in suscipiente Baptismum intentionis, si vi adigatur ad ipsum, nolens omnino baptizari; & in hoc casu Baptisma non solum est infirmum, id est non formatum gratia, sed invalidum. Fidei, quando non credit essentiam Baptismi, sed illum recipit, ut naturalem, & simplicem balneationem tantum, & in hoc pariter casu fictus nullum recipit effectum Sacramenti, neque characterem. Et voluntatis, quando non est bene dispositus, quia habens peccata, eorum ipsum non praevenit. Alterum prae notandum est; quod in tali fictione voluntatis peccata vel praecedunt Baptismum, vel committuntur in actu receptionis baptismi, vel post susceptum Baptismum. Peccata in receptione Baptismi, vel post Baptismum commissa, non delentur, & per consequens non acquiritur gratia, nisi per contritionem veram cum proposito confitendi, vel cum attritione, & actuali Confessione Sacramentali simul. De peccatis ante Baptismum commissis, de quibus satis erat habere attritionem accedendo ad Baptismum, sed baptizatus non fuit neque contritus, neque attritus? Altercantur Theologi circa modum recipiendi gratiam; quae non potuit haberi in Baptismo ob dictam voluntatis fictionem, & deficientiam attritionis; nam alii volunt, sufficere post Baptismum elicere actum attritionis. Ita Paludan. in 4. dist. 4. q. 5. Sylvest. Verb. Baptismus 4. circa finem. Suarez de Sacramentis disp. 28. sect. 5. concl. 1. & Agid. Coninch. q. 62. art. 1. dub. 6. num. 92. Alii vero requirunt ultra attritionem, etiam Confessionem, cum accusatione illius fictionis. Vasquez apud Card. de Lugo de Sacram. disp. 9. sect. 4. Cardin. Toletus lib. 2. cap. 21. num. 3. & Eminen. Cardin. de Lauræa d. tom. 1. disp. 11. art. 5. num. 65.

Ceterum haec duae opiniones diversae ad concordiam reducuntur sub hac distinctione. Vel baptizandus adultus non habuit attritionem de peccatis suis ex ignorantia invincibili, quia vel non fuit instructus, & monitus, vel credidit se esse attritum, & non erat? Et in hoc casu, quotiescunque post Baptismum eliquerit actum attritionis, removebitur obex, & recipiet gratiam Sacramenti. Vel culpabiliter non fuit destitutus peccata sua, & tunc ad obtinendam gratiam, & removendum obicem necessaria est attritio cum actuali confessione, vel contritio cum proposito confitendi. Ita Diana Coordin. d. tom. 1. tract. 1. resol. 26. in fin. Cotonius d. lib. 2. contr. 2. num. 103. ubi testatur hunc esse sensum Angelici Doctoris p. 3. q. 69. art. 10. ad 2. Bonacina d. disp. 2. q. 2. punct. 7. num. 14. & Volpi d. resol. 10. num. 7.

Quare casus noster resolvitur dicendo, gratiam recipi ab adulto baptizato, qui non doluit de suis peccatis, tunc, & quando elicit actum attritionis, si absque culpa non doluit in Baptismo. At necessariam esse contritionem, vel attritionem cum confessione, ut gratiam recipiat, si culpabilis fuit omitendo actus attritionis necessarii in Baptismo. Ita DD. supracit. quibus ad stipulantur Sotus in 4. dist. 6. art. 8. Henriquez lib. 2. cap. 27. num. 3. Filiucius tract. 2. cap. 5. q. 10. Trullench. in praxi Sacram. libr. 1. cap. 3. dub. 3. num. 5. & lib. 2. cap. 1. dub. 8. num. 11. & Mastrius in 4. Sent. d. 2. num. 145.

D

DE CI-

DECISIO XIX.

ARGUMENTUM.

Character, qui est secundus effectus trium Sacramentorum, quid sit? & in qua Anima potentia imprimatur? in presenti Decisione discutitur. Respectus debitus Characteri, ne quis peccet ministrando Sacramenta in mortali, vel ea suscipiendo cum Venialibus. Ornatus Animæ Tertius effectus Sacramentorum remissivè explicatur.

SUMMARIUM.

- 1 Character quid sit? Et quid significet?
- 2 Circumcisio an imprimeret Characterem in anima?
- 3 Character an imprimatur in intellectu, vel in voluntate?
- 4 Character à quibus Sacramentis imprimatur?
- 5 Characteris effectus qui, & quot sint.
- 6 Ordinatus Sacerdos ministrans Sacramenta in mortali, quot mortalia committat.
- 7 Eucharistiam qui ministrat in peccato peccat mortaliter.
- 8 Venialia habens, & non dolens an peccet, si Sacramenta suscipiat.
- 9 Ornatus animæ causatus à quolibet Sacramento, quid sit.

Post explicitum primum effectum Sacramentorum, qui est gratia, transeundum est ad sequentem, qui est Character. Ideò in presenti quaeritur, *Quid sit Character?* Respondent tum Scholastici, tum Morales, tum Doctores Canonistæ, Characterem esse signum spirituale, & indelebile, in anima impressum. Conc. Trid. sess. 7. can. 9. Quòd quidem nomen Character apud Græcos grammaticos importat Figuram: ideòque ubi ad Hebr. 1. 3. habetur figura substantia ejus, ponitur in Græco Character substantia ejus. Sic figuræ, quibus litteræ scribuntur vocantur characteres. Et Apoc. 13. 14. 16. & 19. dicitur Character bestia, id est figura bestia, quam in fronte, vel manu habebunt ejus sequaces. Hinc apud Mathematicos pro suo quisque instituto habet proprios characteres ad aliquid significandum, ut in Arithmetica numeri specificantur per characteres, id est, litteras Græcas, & Hebraicas, ut dixi de Penitentia Decis. 24. n. 5. Sic in Algebra, in Astronomia, & in Geometria habent proprios characteres ad denotanda certa signa, planetas, & aspectus eorum, prout etiam in Medicina ad innuendum Unicam, Drachma, Scrupulum, Libram, & alia, de quibus Lexic. Medic. & Lexic. Mathematic. in Verb. Character. à studiosis legenda. At secundum translativam significationem character importat aliquod signum sensibile. Et secundum Theologos, Character est forma quadam spiritalis impressa à Deo suscipienti Sacramentum non iterabile. Ita Emin. Card. de Lauræa d. tom. 1. de Sacramentis in genere disp. 9. art. 1. num. 2. & seqq. ubi num. 6. probat, quòd etiam Circumcisio in lege veteri imprimebat characterem in suscipiente; quod negat Volpi resol. 173. num. 3. An autem character imprimatur in intellectu secundum S. Thom. 3. q. 63. art. 4. vel in voluntate secundum Scotum in 4. dist. 6. q. ult. disputant Suarez tom. 3. disp. 11. sect. 4. Vasquez. 3. p. q. 63. art. 6. disp. 134. cap. 4. num. 81. Emin. Card. de Lugo disp. 6. sect. 4. Maltrius in 4. Sent.

d. 1. num. 229. & Emin. Card. de Lauræa d. disp. 9. art. ult.

Præcipuè verò oportet declarare pro instructione tironum, Quænam Sacramenta imprimant characterem; Quapropter sciendum est, quòd imprimunt characterem sola tria Sacramenta, scilicet Baptismus, Confirmatio, & Ordo, ex Conc. Trid. cit. sess. 7. can. 9. Et ideò illa Sacramenta reiterari non possunt: & characteres Confirmationis, & Ordinis habent necessariam connexionem cum characterè Baptismi; adeò ut si confirmatio, vel Ordo conferatur non baptizato, invalidè conferatur, cap. 2 §. Quia verò. De Presbyter. non baptiz. At character Ordinis non pendet à characterè Confirmationis; idcirco si Ordo conferatur non confirmato, validè conferatur; sed suscipiens peccat mortaliter secundum aliquos, & secundum alios venialiter tantum, Henric. lib. 3. cap. 5. in fin. Navar. in Man. cap. 22. num. 9. Volpi d. resol. 73. n. 7. Diana part. 10. tract. 11. resol. 14. Quæ sibi constituit sedem in opere Coordinato tom. 2. tract. 5. resol. 100.

Quòd si quis petat, qui sint effectus characteris? Huic responderetur, esse sex sequentes, Videlicet. 1. Potestatem quandam spiritualem ad ea peragenda, quæ ad cultum divinum spectant; passivam in Baptismo, per cujus characterem redditur homo idoneus ad alia Sacramenta licitè, & validè suscipiendâ & activam in Ordine ad Sacramenta aliis ministrandâ; & in Confirmatione ad fidem profitendam. 2. Configurationem cum Christo Domino, à quo tanquam Summo Sacerdote derivatur omnis potestas spiritalis. 3. Distinctionem ab aliis hominibus, & ideò in alia vita baptizati secernentur à non baptizatis, prout confirmati, & Ordinati à non confirmatis, & à non ordinatis, respectu characteris Sacramentalis, ad instar Vestium cum fimbriis rubris, vel caruleis, seu flavis, quæ distinguunt famulos unius Baronis, & Comitis à famulis alterius. 4. Energiam permovendi Angelum Custodè, ut aspiiciens characterem sollicitius obeat munus regendi, illuminandi, & protegendi suum clientem. 5. Testimonium, quasi Bullam auream, qua Deus testificatur jus, quod homo acquisivit per Sacramentum. 6. Tandem motivum speciale permovendi quoque Deum ipsum ad conferenda auxilia, & gratias in ordine ad actiones illas, ad quas per tale Sacramentum specialiter destinatur homo. Ita Gobat de Sacramen. tract. 1. à num. 291. Abelly de Sacramen. in genere par. 2. tract. 1. cap. 1. sect. 6. in fine. Cardin. Toletus lib. 2. cap. 16. num. 5. Marchant in Candelabr. Myst. tractat. 1. lect. 6. Eminentiis. Card. de Lugo dict. disp. 6. sect. 4. & Emin. Card. de Lauræa disp. 9. art. 3.

Hinc ad cognoscendam reverentiam debitam Characteri, proponitur casus: Sacerdos, existens in mortali peccato, laicum sacramentaliter absolvit, communicat, Missamque celebrat, & puerum baptizat. Quæritur, Quot peccata committat? Pro resolutione hujusmodi casus varii varia dicunt. Alii numerant quatuor peccata mortalia. 1. In absolvendo. 2. In communicando. 3. In celebrando. 4. In baptizando. Alii duo mortalia tantum; quia communicare in mortali non est mortale. Tambur. de Commun. cap. 1. §. 7. n. 59. & dictum est suprà Decis. 16. num. 1. Vers. Caterum. Neque baptizare in casu necessitatis. Layman, lib. 5. tract. 1. cap. 5. num. 7. Volpi resol. 168. num. 10. ubi DD. plurimi.

Alii repeterunt sex mortalia; quia in celebratione Missæ Sacerdos in mortali existens tria mortalia committit, Unum in offerendo, Alterum in consecrando

crando, & Tertium in sumendo sacrificium. DD. apud Azor. *part. 1. lib. 10. cap. 31. q. 11.*

Alii quinque mortalia, nam Sacerdos criminofus celebrans duo peccata mortalia facit. Unum consecrando, Alterum se communicando. Tambur. *de Communione d. cap. 1. §. 7. num. 57.* Idem *de Sacramentis in genere lib. 1. cap. 2. §. 3. num. 9.*

Omnēs supradictæ numerationes sunt probabiles. Curia nostra reperit in proposito casu quinque mortalia.

Primum in absolvendo, quia Sacerdos debet esse in gratia, ut licite administret Sacramenta ex multis rationibus allegatis per Bonacinam *tom. 1. de Sacram. in gen. disp. 1. qu. 3. punct. 2. §. 1. num. 2.* Secundo in communicando; nam probabilior est opinio, quod Sacerdos in mortali existens, communicans laicum, peccet mortaliter; quia ultra irreverentiam magnam erga sanctissimam Eucharistiam, eam administret solemniter, & ex officio Sayr. Valentia, Suarez, Coninch, & Camerota apud Bonacin. *d. §. 1. num. 13.* Tertium Missam celebrando dum consecrat; & Quartum, dum seipsum communicat. Tamburin. *d. §. 7. num. 57. in lib. d. 55. Comm. & Cardin. de Lugo de Euchar. disp. 14. num. 134.* Quintum tandem in baptizando puerum, non solum solemniter, sed etiam in necessitatis casu, more laico: semper enim peccat mortaliter, qui existens in peccato baptizat, ut pluribus rationibus eruditè probat Emin. Cardin. de Lauræa *d. tom. 1. de Sacram. disp. 10. artic. 4. d. num. 47. & seqq. & d. num. 61.* liquidem præceptum amandi Deum, & servandi quod præcipit, præponderat cuicunque necessitati proximorum.

Sed Utrum licitum sit peccata venialia habenti suscipere Sacramenta nullo præmissio dolore? deprehenditur ex resolutione casus sequentis: Clericus sciens, se plura Venialia commisisse, absque confessione, contritione, vel attritione suscipit Sacramentum Confirmationis, Ordinis, & Eucharistiæ. Queritur, Quæ, & Quot peccata committat? In hoc casu est distinguendum: Vel iste Clericus suorum peccatorum venialium præteritorum vix recordatur, & ad ea non reflectit in susceptione Sacramentorum; & tunc si aliàs cum devotione, & reverentia suscipit, nullum peccatum committit; ea ratione, quia peccata Venialia præterita, solo habitu manentia, per se non impediunt effectum Sacramentorum, videlicet augmentum gratiæ sanctificantis, quin potius Sanctissima Eucharistia ex opere operato delet venialia, quibus voluntas susipientis neque actualiter, neque virtualiter inhæret. S. Thom. *3. p. q. 79. art. 4.* Layman. *lib. 5. tract. 4. cap. 6. num. 1.* Reginald. *lib. 29. num. 111.* Thom. Tamburin. *de Sacramentis in genere lib. 1. cap. 3. §. 2. num. 7. & in libr. de S. Commun. cap. 1. §. 4. Volpi resol. 57. num. 18.* Bissius in *Hierurgia litter. E. num. 169. §. 2.* & Emin. Card. de Lauræa *d. tom. 1. de Sacramentis disp. 25. num. 161.* Vel præfatus clericus habet æqualem affectum ad ipsa sua peccata venialia, & propositum perseverandi in ipsis; & advertit ad illa; & in nihilo ea detestatur; & in hoc casu in susceptione cujuslibet Sacramenti committit novum peccatum Veniale, ob irreverentiam, & indevotionem, quibus suscipit Sacramenta cum tali pondere in anima suas; & idem dicendum esset, si in actu susceptionis Sacramentorum deleçaretur de aliquo objecto veniali. Henriquez. in *summ. par. 1. lib. 8. cap. 45. §. 2.* Reginald. *d. lib. 29. num. 100.* Layman. *d. cap. 6. num. 3.* & ibi Suarez de *Euchar. disp. 66. sect. 1.* Diana *par. 3. tract. 4. resol. 31.* Quæ in *Coordi-*

Doct. Clericali Tom. 1. Liber 1.

nato opere residet *tom. 2. tract. 2. resol. 44.* Mastrius in *Theolog. Mor. d. 21. n. 85.* & Eminentiſs. Card. de Lauræa *d. disp. 25. num. 129. & num. 161.*

De tertio effectu Sacramentorum, qui est ornatu animæ, & auxilia quædam ad obtinendum finem, in quem singula Sacramenta sunt à Christo Domino ordinata, in his Decisionibus non agimus, quia spectat ad Scholasticos, ad quos hæc non sunt directæ, sed ad Animarum Rectores, & Confessarios, qui egent doctrina practica, & plana, non autem abstracta & de apicibus Theologiæ speculative. Qui cupit de eodem effectu satis claram explicationem habere legat doctissimos Salmanticenses in *tract. de Sacramentis in genere tract. 1. cap. 5. punct. 3. & 4.* & reperiet, ipsum consistere in augmento virtutum, & donorum spiritualium, quod causat quodcunque Sacramentum in anima præter illud gratiæ sanctificantis.

DECISIO. XX.

ARGUMENTUM.

Sacramentalia Ecclesiæ exponuntur quoad eorum numerum, & quoad effectum, qui præcipuus est in delendis culpis Venialibus. Sed Utrum eas debeat ex opere operato, vel ex opere operantis discutitur, cum aliis dubiis Sacramentalia concernentibus.

SUMMARIUM.

- 1 Sacramentalia, quæ, & quot sint?
- 2 Sacramentalia an remittant venialia peccata?
- 3 Displicentia Venialium est necessaria ad eorum remissionem.
- 4 Venialium detestatio potest esse dimidiata.
- 5 Sacramentalia an deleant Venialia ex opere operato? vel ex opere operantis? & num. 6.
- 7 Venialia ex opere operantis quomodo remittantur à Sacramentalibus?
- 8 Venialia delentur sex aliis remediis, & quæ hæc sint?
- 9 Venialia peccata an in inferno deleantur?
- 10 Sacramentalia constitutens in Mortali an mortaliter peccet?

Ultimo loco antequam concludamus præsentibus Decisionibus de Sacramentis in genere, convenit, ut aliqua dicamus de Sacramentalibus. Ideo Queritur, Quæ & quot sint Sacramentalia? Omnes Theologi, & Canonistæ docent Sacramentalia esse sex contenta hoc carmine: *Orans, Tinctus, Edens, Confessus, Dans, Benedicens*, quod refertur communiter à Doctoribus, & ab iisdem pariter declaratur; videlicet à Paludano in *4. dist. 16. qu. 1. art. 2. conclus. 4.* à Reginaldo in *Praxi for. Penit. lib. 5. num. 43.* à Bonacina *tom. 1. De Penitentia Sacramento disp. 5. quest. 6. sect. 2. punct. 2.* à Volpi in *Resolut. Moral. Verb. Veniale, Introductio, num. 4.* à Jordano in *Schedula Sacramentorum tom. 1. lib. 3. tit. 7. pag. 272. col. 2.* à Joan. Baptista Calasio *De Veterib. Sacris Christianor. Ritibus cap. 4. in fin.* & ab Emin. Cardin. de Lauræa in *4. sent. tom. 2. disp. 15. art. 12. de Sacram. Penitentia.*

Orans denotat Orationem Dominicalem, quæ præcipuum inter Sacramentalia obtinet locum, tanquam instituta à Christo Domino Dei Filio, & Supremo præceptore nostro; & de ea habemus textum in *cap. De quotidianis 20. de Penit. dist. 3.* Quamvis alii intra Sacramentalium numerum reponant quamcunq; orationem Deo devotè factam; juxta illud *Prov. 15.*

D 2

Oratio

Oraciones iustorum exaudies. Et Matth. 7. Petite, Et accipietis. Et Marc. 11. Quaecunque orantes petitis, accipietis; cap. importuna, de Penit. disp. 1. & præcipue si oratio fiat in Ecclesia consecrata, & Deo dedicata. S. Thom. 3. p. 2. q. 87. art. 3. in corp. Faciunt Collectæ, in Missa de Dedicat. Ecclesia.

Tinctus significat eum, qui attingit aquam benedictam, vel ea aspersus se signat; ipsa enim benedicta aqua est inter Sacramentalia antiquitus relata, & ejus benedictio habetur ex Apostolica traditione, ut erudite demonstrat ex SS. Patrum testimoniis Casalius de Veterib. Sac. Christ. Ritib. cap. 36. & est. text. in cap. Aquam 20. de consecrat. disp. 3. Quamvis alii intelligant sub hac Voce *Tinctus* etiam Unctiones, quas adhibet Ecclesia in consecratione Episcoporum, Abbatum, Sacerdotum, & Regum, de quibus tamen nullum habemus textum apertum, prout extat de Aqua benedicta; ut doctè observat Eminentiss. Cardin. de Lauræa d. tom. 2. de Sacram. Penit. disp. 15. art. 12. n. 331, & S. Antonin. in sum. p. 3. tit. 12. cap. 10. §. 3.

Edens complectitur comestionem eorum, quæ à Sacerdotibus sunt benedicta; juxta ritus, & orationes ab Ecclesia Romana præscriptas circa quæcunque comestibilia in Rituali Romano; & præcipue tempore Paschali, videlicet Panem, Ova, Agnum, ac alios cibos; quos quidem Sacerdotali benedictione refertos antiqua traditio reposuit inter Sacramentalia; ex quibus, ut infra demonstrabimus, procedit remissio peccatorum Venialium, dum devotè comeduntur; siquidem orationes ferè omnes, quæ habentur in Rituali Romano sub Rubr. *Benedictiones esculentorum* implorant à Deo tum corporis, tum animæ sanitatem fumentibus; & ideo Panis benedictionem incepisse ab Apostolorum Principe Divo Petro notat Abdia lib. 2. Histor. Apostol. quem allegat Bissus in sua Hierurgia tom. 1. litt. B. num. 91. §. 10. pag. 116. ubi subdit §. 11. quod frugum benedictio initium sumpsit à S. Clemente Papa, quamvis ab Eutichiano Papa scribat Emin. Cardin. Baronius ann. 283. Etequidem mos antiquissimus apud præfatos fideles fuit, ut singulis diebus Dominicis alterum ab Eucharistia panem Sacerdotes celebrantes benedicerent, & cum Cathecumenis, ac etiam baptizatis, corpus Christi non fumentibus, manducandum darent, quem Græci appellant *Eulogia*; & hunc inter Sacramentalia Doctores numerant. Casalius de Veter. Sac. Christ. ritib. cap. 21. Vers. Communio per Eulogias. & cap. 36. in fin. ubi erudite materiam tractat, & antiquos scriptores cumulat. Duran. de Ritib. Eccles. lib. 2. cap. 58. & tangit Emin. Cardin. de Lauræa d. tom. 2. disp. 15. art. 12. num. 332.

Confessus parit quartum Sacramentale, scilicet Confessionem generalem, quæ fit ante Introitum Missæ, & in officio ad Primam, & ad Completorium; quæ habet Virtutem delendi Venialia ob nimiam humilitationem, & peccatoris confusionem, quam facit Christianus in illius recitatione, ad exemplum Publicani, qui percutiendi pectus suum, & confitendo se peccatorem, reversus est justificatus in domum suam. Luc. 18. 14. Et de hac loquitur S. Thomas 3. p. 2. q. 87. art. 3. Casalius d. cap. 4. in fin. ac omnes DD. supra in principio relati, quamvis textum non habemus manifestum, à quo hoc Sacramentale signetur; ut bene notat Eminentiss. Cardin. de Lauræa d. disp. 15. art. 12. num. 333.

Dans inlinuat eleemosynam, quæ pariter repu-

tatur unum ex Sacramentalibus cancellans peccata venialia. cap. Quamobrem. cap. Medicina, & cap. Medicamentum. de Peniten. disp. 1. Et extat Veritatis oraculum Luc. 11. 41. Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.

Benedicens tandem assignat sextum Sacramentale valens ad dimissionem venialium culparum; id est, Benedictionem Episcopalem; in cujus receptione specialem religionis actum homines exercent; de qua tamen nullus reperitur textus in Jure Canonico, teste Eminentiss. Cardin. de Lauræa d. disp. 15. artic. 12. num. 335. Quamvis Eminentiss. Cardin. Brancacius in suis Dissertationib. De Benedictione Diaconali pag. 270. ad probandum hunc effectum Episcopalis benedictionis delentis peccata Venialia; alleget tex. in cap. dictum est. 1. q. 1. Et secundum alios comprehendit hoc nomen alias solemnes benedictiones institutas ab Ecclesia, puta Cinerum, Candelarum, & Palmarum; ad effectum, ut fideles devotè recipientes easdem palmas seu candelas, vel cineres tanquam quid Sacramentale, & ab Ecclesia benedictum, reportent remissionem venialium peccatorum, præter alia corporalia adjumenta; quod satis exprimunt orationes in Missali positæ, quas recitant Sacerdotes benedicturi prædicta Sacramentalia. Henriquez in sum. lib. 1. cap. 20. num. 4. & lib. 9. cap. 6. n. 2. Azor. Instit. Adoral. lib. 4. cap. 11. per totum. Et Greg. de Valent. tom. 4. q. 4. de Penit.

Quod si petamus, A quo sint instituta Sacramentalia? reperitur ab omnibus dictum, ab ipsa Ecclesia quodcunque Sacramentale habuisse originem; & quidem ab initio ipsius Ecclesiæ Catholicæ; adeo ut plura Sacramentalia censentur instituta à Sanctis Apostolis, ut supra de benedictione Panis, cujus auctor refertur divus Petrus, innuimus; & hoc testantur absque ulla hæsitacione DD. omnes supra relati nùero primo in principio; quibus ad stipulatur Bissus in Hierurgia litt. S. verb. Sacramentalia n. 50. §. 4. P. Candidus in compend. disquisit. moral. disp. 35. artic. 3. num. 6. Et Caramuel in Theol. Fundamentali num. 2047. & seqq. ubi eruditè ostendit, Ecclesiam tanti fieri à Sponto suo Christo, & tanto amore prosequi, ut ei permittat Sacramentalia institueret ad similitudinem Sacramentorum; ad eadem Sacramentalia ob orationes Ecclesiæ ita elevet ut valeant venialia condonare Nugnus, quem citat Gobat tract. 9. num. 240.

Hinc apud Scholasticos, ac Morales invenitur propositum hoc Quæsitum: An prædicta Sacramentalia remittant peccata Venialia? Et an ipsa remissio Venialium fiat ex opere operantis, vel ex opere operato?

Circa primam partem hujus quæsitæ, omnes affirmant, Sacramentalia valere ad delenda peccata Venialia, ex universali Theologorum assertione, quæ probatur tum auctoritate Sacrorum Canonum supra relatorum in expositione cujuslibet Sacramentalis, tum verbis Sacri Tridentini Concilii sess. 14. cap. 5. docentis, non esse necessarium venialia confiteri, quia ipsa possunt multis remediis expiari; quæ quidem præcipua sunt Sacramentalia, quorum antiquissimus usus est in Ecclesia; & quæ fuerunt ad hunc præcipuum effectum instituta; scilicet pro Venialium, & quotidianarum expiatione culparum. Cæterum doctiores studiosissimi hujus Cleri adnotarunt, necessarium esse ad obtinendam remissionem venialium culparum virtute Sacramentalium, ut de eis habeatur displi-

displacencia saltem virtualis, quia peccatum etsi veniale nunquam remittitur, quamdiu ipsum vel actu, vel virtute placet; manente enim causa manet effectus. S. Thom. 3. p. qu. 87. art. 3. ubi ait: requiri peccati venialis detestationem explicitam, vel implicitam, seu virtutalem, quae tunc contingit, cum fidelis homo sic affectu fertur in Deum, & res Divinas, ut quidquid sibi in memoriam occurreret, quod ab eo motu ipsum retardaret, displiceret ei, ac doleret, se illud aliquo modo commisisse; & eliceret propositum saltem virtuale cavendi in posterum ab eodem veniali, & illud emendandi, & vitandi. Diana Coordinatus tom. 1. tract. 3. resol. 100. num. 9. Extractus ex antiqua sede posita in part. 11. tract. 5. resol. 22. Azor. d. libr. 4. cap. 11. Valentia d. tom. 4. qu. 4. de Penitent. & Sotus in 4. Sent. dist. 15.

Porro non est necesse, omnia venialia detestari, & ab omnibus velle abstinere; quia possunt aliqua deleri, de quibus scilicet dolemus, & proponimus abstinere saltem virtualiter; & alia non deleri; illa videlicet, quibus affectus noster inhæret; & ratio est, quia aliquod Veniale etsi placeat, non est obex divinæ gratiæ in animam inducendæ, nec remissionis concedendæ aliorum venialium, quorum extat detestatio, & displacencia. Volpi ante resol. 189. Verb. Veniale in Introduct. nu. 1. Gobat in Experim. Theol. d. tract. 6. num. 239. Reginald. in Praxi fori Penit. lib. 5. num. 44. 45. 46. & 47. & Eminentiss. Cardin. de Lauræa d. tom. 2. disput. 15. num. 454.

Quo verò ad secundam partem quaeriti; fuit in medium producta illa inter Theologos gravissima quaestio, de modo scilicet, quo Sacramentalia deleant culpas veniales; in qua ferè omnes Thomistæ asserunt, remissionem fieri ex opere operato; & contra Scotistæ sustinent, dictam remissionem procedere ex opere operantis. Pro rudiorum intelligentia notandum, remissionem ex opere operato referri ad propriam virtutem, & efficaciam ipsorum Sacramentalium; remissionem verò ex opere operantis pendere à merito, fide, & interno motu ipsius hominis Sacramentalibus utentis.

Secutores prioris opinionis, quod scilicet Sacramentali deleant venialia ex opere operato, his præcipuè nituntur rationibus; videlicet, quia illud Sacramentale elevatur à Deo, & tanta virtute roboratur, ut possit pettingere usque ad animam hominis fidelis, & ex ea expellere veniales culpas, mediantibus meritis Christi, & orationibus Ecclesiæ, cui Christus potestatem dedit talia Sacramentalia instituendi, ex propria sua magnificentia. Et quamvis requiratur in fidele utente Sacramentalibus pius affectus, qui detestetur venialia; tamen per eum non destruitur vis, & efficacia propria operis operati: quia ut plurimum ille affectus detestativus culparum ex se esset insufficiens ad eas delendas, sive non ad omnes; Ita P. Candidus d. disquis. 35. artic. 3. Gonet in Clypeo Theolog. Thomist. tom. 5. tract. 5. disp. 4. num. 57. Filliucc. tom. 1. tract. 6. cap. 5. num. 129. Fagund. Præcept. 2. lib. 2. cap. 1. num. 11. Henriquez lib. 1. de Penitent. cap. 15. num. 8. Bellarmin. tom. 3. de Sacramen. lib. 2. cap. 31. §. Tertia propositio Scotus in 4. dist. 15. qu. 2. art. 3. Canus de Locis Theolog. lib. 2. cap. 13. ad arg. 9. Gregor. de Valentia tom. 4. disput. 7. quæst. 4. punct. 1. Vers. Secundo asserimus. Nagnus in 3. part. tom. 2. quæst. 87. artic. 3. diff. 2. & Diana Coordinatus tom.

1. tract. 3. resol. 1. quæ in veteri est part. 3. tract. 4. resol. 61. Et summa ejus in Verb. Aqua benedicta. Eminentiss. Cardin. de Lugo tom. de Penitent. disput. 9. sect. 4. Mastrius in 4. sent. de Penit. Sac. dist. 5. q. 9. art. 2. & in Theolog. Moral. d. d. 21. num. 86.

Contrariam opinionem tuentes dicunt, Sacramentalia delere veniales culpas ex opere operantis; nam deletio ex opere operato spectat ad sola Sacramentalia, quæ sunt instituta à Christo Domino, 6 cujus solius est instituere signa sensibilia ad causandam gratiam, & ad delenda peccata; & hanc potestatem nullibi legitur fuisse datam Ecclesiæ ultra Sacramentalia. Ulterius in usu Sacramentalium requiritur bonus motus voluntatis in utente; itaut vel eliciat actum penitentiae formalis, vel virtualis, aut ad summum referat ipsum usum Sacramentalium ad talem finem, ut sua peccata venialia deleantur. Ergo remissio fit ex opere operantis; alioquin etiam dormienti possent deleri venialia per aspersionem aquæ benedictæ. S. Bonavent. in 4. dist. 21. artic. 1. quæst. 2. Suarez. in 3. part. tom. 4. disput. 12. sect. 5. num. 5. Villalobos, & Coninch. citati à Diana Coord. d. tom. 1. tractat. 3. resol. 1. §. 1. Bonacina tom. 1. disput. 5. quæst. 6. sect. 2. punct. 2. num. 4. Volpi d. resol. 189. n. 1. Bissus in Hierurgia Verb. Sacramentalia num. 50. §. 4. Corotius lib. 2. contrav. 15. in Appendice de Sacramentalib. num. 4. Eminent. Cardin. de Lugo de Penitentia disput. 9. sect. 4. Eminentiss. Cardin. de Lauræa d. tom. 2. de Sacramento Penit. disput. 15. art. 12. & Mastrius loc. cit.

In hac controversia Theologica nostrum non est sententiam ferre, cum legales, seu Canonicas solitissimas lites dirimere. Fas tamen sit conciliare utramque opinionem dicendo, quod si ly ex opere operato accipiatur in proprio sensu, quatenus significat illud, quod de condigno, & infallibiliter ex meritis alterius datur, vel operatur, probabiliorem esse secundam opinionem, nam Sacramentalia de per se tantum, cum non sint à Christo Domino instituta, non videntur habere virtutem delendi venialia ex condigno, & infallibiliter. At in sensu minus proprio, si accipiamus ly ex opere operato, quatenus scilicet ultra sanctitatem Sacramentalium comprehendit motum, quem ipsa excitant in utente, penitentiae aut formalis, aut virtualis, aut ad summum relationis eorumdem Sacramentalium ad illum finem obtinendi deletionem venialium; qui motus est necessarius in ipso utente, ut supra diximus, tunc sustinere potest, & admitti etiam prima opinio; ut distinguendo concludit Mastrius in Theol. Morali d. disput. 21. quæst. 4. artic. 1. num. 87 & 88. Carmuelin Theolog. fundament. num. 2047. & P. Philippus à SS. Trinit. Carmelita excaleat. in 3. p. tract. de Sacrament. in genere disput. 10. dub. 5.

Et occasione hujus casus, & remissionis Venialium culparum per Sacramentalia, studiosi plerimi dedere sex remedia, quibus ultra Sacramentalia deletur Veniale peccatum quo ad culpam. 1. Per Sacramentum Penitentiae. 2. Per contritionem absque Sacramento. 3. Etiam per attritionem sine Sacramento in homine iusto, & secundum aliquos etiam in habente mortalia; (quamvis id neget de utrisque Vasquez in 3. p. tom. 4. disput. 87. art. 16. dub. 1. num. 6. quem confutant Doctores infra citandi.) 4. Per actus Christianarum virtutum factos ab homine iusto,

D;

nempe

nempe fidei, charitatis, misericordiae, temperantiae, & similes. 5. Per susceptionem aliorum Sacramentorum, nempe Confirmationis, Eucharistiae, Extremæ Unctionis, Ordinum, & Matrimonii, concurrente in homine iusto vel attritione eorumdem Venialium, vel saltem virtuali quadam eorum detestatione; aut intentione suscipiendi illa Sacramenta in remissionem peccatorum; seu in eum finem, in quem sunt instituta. 6. Tandem remittuntur Venialia etiam quo ad culpam in alia vita, vel in transitu animæ ex hoc corpore, vel intuitu præcedentium meritorum, vel in Purgatorio per satisfactionem. In inferno autem Venialia conjuncta mortalibus nunquam delentur quo ad culpam, etsi plures Theologi concedant, ea deleri quo ad poenam. *Mastrius in Theol. Mor. d. disput. 21. artic. 1. & 2. Gobat tract. 6. à n. 230. & seqq. Greg. de Valentia tom. 4. disput. 7. q. 4. punct. 2. & 3. Diana Coordin. d. tom. 1. tract. 3. res. 105. & res. 106. Quæ in veteri sedent part. 3. tract. 4. res. 116. & part. 11. tract. 5. res. 31. Volpi res. 190. per totam. Bonacina d. tom. 1. disp. 5. q. 6. sect. 2. punct. 3. & punct. 4. Gonet tom. 5. tract. 5. de Penitent. disput. 4. art. 1. 2. 3. & 4. à pag. 368. & seqq. Eminentiss. Cardin. de Lugo d. tom. de Penitent. disp. 9. sect. 1. 2. 3. & 4. & copiosissime Eminentiss. Cardin. de Lauræa d. tom. 2. in 4. Sentent. disput. 15. art. 9. & seqq. usque ad art. 13. ubi supranotatas Theologicas opiniones subtiliter discutit, & explanat.*

Postremo pro conclusione hujus disputationis de Sacramentalibus, decidendus venit etiam subsecuens Casus. *Parochus in mortali peccato existens benedicit Aquam lustralem, Paschalem agnum, Salem & Panem: ac Sacram Eucharistiam portat in Processione. Queritur, an peccet mortaliter?*

Alii dicunt, non peccare mortaliter; alii verò affirmant, quòd mortaliter peccet: siquidem Doctores extant plurimi pro utraque opinione. Qui excusant à mortali operantem supradictas functiones in mortali, innituntur huic rationi; scilicet quia functiones illæ non sunt Sacramenta; obligatio autem se constituendi in statu gratiæ videtur urgere solummodò in administratione Sacramentorum, tum ob eorum excellentem Sanctitatem, tum quia in Sacramentis minister concurrit immediate ad sanctificationem animarum tanquam or-

ganum Spiritus Sancti. *Vasquez, qui est hujus opinionis antesignanus, in 3. p. disput. 136. de Sacram. cap. 4. num. 48. Thom. Tamburin. de Sacrament. in genere libr. 1. cap. 2. §. 3. num. 3. Paul. Mar. Quartus de Benedictionib. tit. 1. sect. 4. dub. 10. Prim. diff. Volpi res. 140. num. 18. & 19. & magis expresse in res. 168. num. 14. & 15. Ubi Ledesma, Nugnus, Suarez, & Sotus, tenentes, dictum Parochum peccare tantummodò venialiter. Coton. lib. 2. controvers. 1. num. 50. Gobat de Sacram. tract. 1. num. 54. & tract. 4. num. 387. & Eminentiss. Cardin. de Lugo de Sacram. in gen. disput. 8. sect. 9. num. 152. ubi tamen num. 156. vult Episcopum consecrantem Chrisma, & benedicentem oleum infirmorum in statu peccati, peccare mortaliter; etsi contrarium sentire Emin. Cardin. Palavicinum referat Coton. d. num. 50.*

E contra qui tenent, ministros Ecclesiæ culpa lethali sedatos exercentes supradicta munia Ecclesiastica peccare mortaliter, moventur his rationibus, videlicet, quia scriptum est: *Ambulans in via immaculata hic mihi ministrabat. Psal. 100.* Quia naturale præceptum esse videtur, Deo sancte, & immaculatè ministrare. Quia graviter offenditur Princeps, si servus, quem ipse odio habet, ut inimicum, à quo maximè fuit læsus, audeat intimis Principis servitiis se immiscere; videtur enim Dominum contemnere; ideò habentur exempla, in quibus narratur, Deum punxisse morte subita, & horribili exercentes functiones Ecclesiasticas in mortali peccato. Ita *Navar. in Man. cap. 27. num. 163. Cajetan. 2. 2. qu. 187. Medina de Penitent. tract. 1. q. 6. Bonacin. de Sacram. in gen. disp. 1. q. 3. punct. 2. §. 1. num. 9. & 13. Sayr. de Sacram. lib. 2. cap. 7. q. 1. artic. 5. Angel. Verb. Clericus 8. §. 1. Sylvest. eod. Verb. 2. num. 2. Sà Verb. Ordin. num. 31. & Laym. lib. 5. tract. 1. cap. 5. num. 10. Pers. Affirmantem verò partem. Silvius, & Filiucci apud Mastrium in Theol. Morali disput. 16. num. 42. ubi hanc opinionem tutiorem appellat; & eam amplectendam censet Curia nostra; attenta potissimum auctoritate Eminentiss. Cardin. de Lauræa, qui huic constanter adheret ob suam eximiam animi pietatem; & eam scripturis, & rationibus corroborat tum in tract. de Sacrament. in genere disput. 10. art. 4. num. 49. & 63. tum in tract. de Sacram. Ordinis.*

DE SACRAMENTO BAPTISMI.

DECISIO XXI.

ARGUMENTUM.

Declarat præsens Decisio, quid significet hæc Vox Baptismus? Eam non esse in usu apud omnes nationes demonstrat. Duas definitiones Baptismi refert. Unam Magistri Sententiarum; alteram Scoti.

SUMMARIUM.

- 1 Baptismus quid sit, & quid significet?
- 2 Baptismi Vox non est in usu apud omnes nationes, sed alie voces; & Quæ?
- 3 Baptismus quibus vocibus vocatus à SS. Patribus.
- 4 Baptismi definitio. Et num. 5.

OMnes Scholastici, & Moralistæ, post tractatum de Sacramentis in genere, descendunt ad particularia; & quia Baptismus est omnium janua, ac principium, & prius aliis institutus; ideò agunt statim de Baptismo. Nos quoque eorum vestigia sequentes Decisiones de Sacramento Baptismi aggredimur, pro exercitio Litterario DD. Parochorum, & Confessariorum; & primò Querimus, Quid sit Baptismus? In responsis ad hoc quæsitum: Præmiserunt studiosiores Amplissimi hujus Cleri Patavini, *Baptismum*, secundum vim græci vocabuli, importare *Lotionem*, seu *Lavacrum*; sed hoc vocabulum esse quid sacrum apud Latinos, non enim usurpatur ad significandam quamcumque lotionem, sed restringitur ad innuendam solummodò ablutionem Sacramentalem; quod etiam observatur apud nationes non

uten-